



Wd. 72.

DISSE^TRAT^O
ACADEMICA INAUGURALIS
DE
PAROCHIS

QUAM

*In Alma, & perantiqua Universitate Coloniensi ordinario sub
PRÆSIDIO
Prænobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum, ac Dominorum*

**D. FRANCISCI GABRIELIS
HAMM**

J. U. D. Professoris Ordinarii, & Publici, venerandæque Facul-
tatis Juridicæ Dictatoris.

Nec non

D. JOANNIS PETRI WIRTZ

J. U. D. Professoris Ordinarii, & Publici, ejusdémque
Facultatis Fisci.

*Pro consequenda in utroque Jure summni gradus Licentia
in publico Juris Auditorio*

DEFENDEBAT

JOANNES HENRICUS HöVER.

Agrippinas

Archidiaconalis Collegiatæ S. Cuniberti, & Parochialis
S. Lupi Ecclesiarum Colonensium respectivè

Canonicus & Pastor.

Anno M.D.CC.LXIV Die Mensis Martii Horis consuetis.

Indulgu Venerande Facultatis Juridice.



EXCELLENTISSIMO. AC. REVERENDISSIMO.
CÆSARI. ALBERICO. LUCINIO.
NICÆÆ. ARCHIEPISCOPO.

CLEMENTIS. XIII. P. M. PRÆLATO. DOMESTICO.
PRÆSULI. SOLIO. PONTIFICIO. ADSISTENTI.
MISSO. A. SEDE. APOSTOLICA. AD. RHENUM.
GERMANIAMQUE. INFERIOREM. CUM. POTESTA-
TE. LEGATI. A. LATERE. APOCRISARIO.
GENERE. PIETATE. VIRTUTE. NOBILISSIMO.
OBITIS. PRO. SACERDOTIO. ET. IMPERIO.
FUNCTIONIBUS. INCLUTISSIMO.
FUGIENTIUM. LITERARUM. STATORI.
VIRORUM. LITERATORUM. VINDICI. MAECENATI.
PAROECIS. COLONIENSIBUS. IN. DIPLOMATE.
ALEXANDRI. VII. DESIGNATO. ASYLO.
GENTIS. UBIORUM. DELICIO,
MONUMENTUM. HOC.
DOMINO. AC. PATRONO. SUO.
ÆTERNUM. DEVOTUS.
POSUIT.

JOANNES HENRICUS HÖVER.

JOHANNES HENRICUS HUGAER

EXCELENTEISSIMO AC REVERENDISSIMO
CÆSARII AFRICCIQD. TUCINIO
NICOLAI AGRICOLAEGO.
CEMENTIS XYLICIS MULATIS DOWSISICO
PRESULI SCOLÆ SINKOPICAE ALLEGANDI
MISSO. V. STUDIIS ADOPTATIS QVADRIVIALE
CUNNAMONIOL. QVADRIVIALE
TELEGATI A LATRATI ARGENSIIS
GENERE. HISTORIE. HISTORIAS POCULIS
OBITS. LEO. ET. C. HISTORIAS
LITERATURAS. HISTORIAS
HISTORIAS. HISTORIAS
PAUCOS. COPIOSA. IN LIBRARIA
AFERENTI. V. HISTORIAS
GENITI. EDITIONE DECIMO
MUNIMENTA. MU. HOD
LOWINO. AC FAVSINO. SNO
TERMINUM. D. VATOR
TODI.



§. I.

PAROCHIA, seu potius PAROECIA; ut delicatores vox Etymon vocis Paroecia
lunt (vocem enim PAROCHIA barbarem esse scribit cis Paroecia
BUDAEUS, aliqui eruditissimi; licet interim non haec nu-
pera sit vocabuli hujus corruptio, sed vetus admodum: quum
in antiquis legibus crebro PAROCHIAE vox occurrat) ex græ-
co παροχία translata, ipsius vi vocabuli ACCOLATUM, VICI-
NIAM, INHABITATIONEM significat. Ad res Ecclesiæ de-
notandas adhibita, primum significare cœpit ECCLESIAM UR-
BICAM soli Episcopo attributam; dein DIOECESIN quoque,
totamque, quam latè patet, jurisdictionem Episcopalem. CA-
NONES vulgo APOSTOLORUM (quos à Viris Apostolicis
secundi, tertiique seculi conditos, quarti autem initio in unum
fasciculum collectos, quamvis succedentibus temporibus hinc inde
pravâ manu interpolatos, hodie tenemus) dictas vocabulo nostro
ad signant notiones. Vid. Can. 14, 15, 34, 35. Add. NICÆ-
NUM Conc. I. an. 325 celebratum, ejusque Can. 16.

B

SVICE-

SVICERUS in *Thesauro Ecclesiast.* & *Patribus græcis excerpto V.* παροικία nobis Auctor est: ubicunque in Canonibus græcis quatuor Conciliorum Oecumenicorum, & aliorum τοπικῶν vox παροικία occurrit, & apud Patres etiam, nunquam alio fere sensu accipi. Conf. *Can. 5 & 6, dist. XCII* apud GRATIANUM. Eundem vocis PAROCHIAE significatum in Latinæ Ecclesiæ Conciliis & Scriptoribus sacris deprehendimus; Lege sis *Can. 4*, qui est Concilii Hispanici *dist. cit. Cap. 1*, quod est Concilii Africani; *Cap. 4, X. de Paroch. & Parochian.*; adde BONIFACIUM Moguntinum Epist. ad Zachariam Papam (qui sedet ab an. 741 ad 752) ita de Germania Scribentem: & Provinciam in tres PAROCHIAS (i. e. Episcopales Sedes) discrevimus. CANGIUS in *gloss. med. & infim. latinitatis h. v.*

Pōst ad Ecclesias minores tūm urbicas, tūm rusticas: tanquam propagines & Filias Ecclesiæ majoris urbicæ, & Episcopalis denominandas, fuit traduēta vox; quā etiam notione communiter hodiē lumi solet. conf. *Capp. 2, 4, 5 X. cit. tit.* His igitur præmissis liceat nobis PAROCHIAM vulgato sensu acceptam describere, quod sit “Vicinia sacra, seu vicinorum eamdem fidem profitentium ad unam aliquam Ecclesiam uni Presbytero concreditam collectio, certis justisque finibus limitibꝫque circumscripta, & comprehensa.

§ II.

§. II.

Porro quod ad Parœcialium, de quibus nunc agere placet, Eccliarum primam attinet originem, fateri in ipso limine cogimur, rem esse multis adhucdum tenebris involutam; tentare tamen animus est, utrum ex remota antiquitate veri quidquam possimus eruere.

Primò quidem in quilibet Dicecesi MATRIX tantum Ecclesia fuit, quam postea dixerunt CATHEDRALEM, abs posita ibidem Episcopi CATHEDRA; crescente indies multitudine fidelium necessitas, Christianaque Officia peragendi, & Sacra-menta administrandi opportunitas efflagitare, singulares quædam Ecclesias, domosque sacras institui, in quibus convenirent vicini Christiani, sacrificisque communicarent; tempus instituti istius determinari præcisè haud poterit; etenim aliæ civitates, ad easque spectantes Diceceses amplitudine suâ, ambitu, ac creditum in unum collectorum multitudine ab aliis magnopere differebant, quo fiebat, ut citius in his, seriùs in illis necessitas, opportunitasq; plures ædes sacras postularet.... sunt, ut ANASTASIUS in vita Evaristi, ALTESERRA in not. ibid. PANVNIUS in append. ad Platianam, ipse PLATINA in vita Evaristi, qui primam Titulorum id est, Parochiarum divisionem adscribunt EVARISTO Pontifici, circa annum Christi CVIII sub Ulpio Trajano martyrium passo; quippè refert ex Platina VAL-

LENSIS ad tit. de Paroch. 16, illum, nempe EVARISTUM, distribuisse sacerdotes per singulas CURIAS, qui præberent Sacra-menta, & alia sacra populo, & vicissim ab illo necessaria ad vietum acciperent; indeque partes illas urbis sic distributas fuisse PA-ROCHIAS. Huc quoque collineare videtur BARONIUS ad an. 270, n. 17 contendens non demùm à Dionysio P, (de quo nos infra loquemur) sed ab aliis antecessoribus Romanis PP. suos Parochiis signatos fuisse limites. Idem evincere conatur J. FILESACCUS de Orig. Parœc., uti testatur BOEHMERUS in Jur. Parochial. Sect. II, c. II, §. 52. Verùm ut ab hac vulgatâ tot illustrium virorum discedamus sententia, bina sunt, quibus mo-vemur, argumenta. Primum est, quod ANASTASIUS, ex quo ceteri, quæ tradidere, hauserunt, ætas tam sit ab EVARISTI P. temporibus remota, ut is idoneum pro tantâ vetustate Spon-sorem agere minimè valeat; EVARISTI enim, ut supra no-tatum, in seculi II. principium mors incidit, ANASTASIUS autem notante MURATORIO in Annal. Italie sub Joanne VIII P. circa an. Xti DCCCLXXVII floruit; sequitur ergo, tantum abesse, ut ANASTASIUS noster æquales inter scriptores (à qui-bus tamen solis secundum sanæ critices regulas certitudo histo-riis solet conciliari) sit referendus, ut ne illis quidem, qui proximi EVARISTO floueré, veniat adnumerandus. Accedit, quæ per accuratam CHIAMPINI crisi eruditis prodita est ope-

ris

LENSIS

II

ris Anastasiani oeconomia: nempe Auctor Romanorum Pontificum vitas à variis successivè scriptoribus compilatas, primò in unum collegit, dein supplevit, demum proprio marte composuit Historias ultimorum quorundam ætati suæ propiorum, coævorum; in his ultimis quidem maxima ANASTASIO, ut æquали aut qui quam proximè accedit, scriptori fides debetur, non eadem in aliis, sed semper pro portione tantò minor, quantò ascendit altius, aliunde transcriptum opus, quantóque plurium auctorum codices, sèpiusculè vitiatos necesse habuit collector sequi. Conf. PAPEBROCHIUS in æterno illo libro, quem Responsionem ad exhibitionem errorum per Sebastian. à S. Paulo evulgatam, inscripsit, *Respons. ad Art. XIV, n. 73, 74.*

Alterum, quibus Anastasiana narratio dubia redditur, argumentum, ex ipsa temporum, quibus vixit EVARISTUS, condicione petimus; notum quippè, qui Ecclesiasticam Historiam vel à limine salutârunt, exploratimque habent, gravissimam sub Domitiano excitatam, sub Nerva & Trajano continuatam, imò abs Trajano decimo circiter imperii anno, novo furore incensam in Christianos fuisse persecutionem, unde Sanctissimus Pontifex cum reliquis fidelibus in cryptis & coemeteriis abditus doctrinæ potius & orationi incubuisse, quam inutilem ad illa tempora, Titularum divisionem instituisse censendus est.

Alii altius ascendentes, ANACLETUM, immediatum Eva-

risti in Pontifícia dignitate decessorem suas in partes trahere co-
natur; provocant quippe ad can. *Episcopi* 3, *dist.* 80, ubi Ana-
cletus ita loqui inducit: “ Presbyteri per castella & modicas
“ civitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni. Sin-
“ guli tamen per singulos titulos suos, “ Possent priori adjun-
gere *Canonem Provinciae* I, *dist.* 99. Qui ejusdem quoque Ana-
cleti fertur esse. Ignoscat nobis, petimus, Isidorus mercator, vel
qui alius sub isto latere voluit nomine, impostor, si quandò lar-
vam Pseudo Anacleto suo detrahentes, liberè edicamus: decre-
tales Epistolas, quarum fragmenta citati canones exhibent, S.
Pontifici ANACLETO ausu planè temerario fuisse affictas; do-
cuit illud, ut alios multos prætermittamus, pòst BLONDEL-
LUM in *Pseudo - Isidoro & Turriano vapulante*, eruditissimus
PAGIUS in *Breviario Romm.* PP. sub ANACLETO §. 2. seqq.
ubi plura suppositionis cum harum, tum aliarum Romanis Pon-
tificibus à Clemente ad Siricum usque, affictarum epistolarum ar-
gumenta produntur.

Tandem Canonum Interpretes communiter ad DIONY-
SIUM P., qui an. CCLXIX juxta PAGII Chronologiam vivere
desit, configiunt, eique Parœciarum institutionem adscribere
gestiunt; nixi auctoritate can. I, c. 13, qu. I ubi ita Dionysius:
Ecclesiæ singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias &
coemeteria eis divisimus: & unicuique jus proprium habere
statuimus. Dolendum sanè est, & hanc decretalem, ex ea-

que

que decerpsum canonem inter spurias Isidori impostoris merces vulgo ab eruditis rejici. Conf. BLONDELLUS cit. libro p. m. 350. seqq. PAGIUS sub DIONYSIO. §. vi. ESPEN *in brevi comment.* ad *Decretum Gratiani*. J. FONTANINI *in not. ad Cardinal. TURRECREMATÆ* novam ordinationem Decreti Gratiani p. m. 201. Ast cur tam exacta crisis? nempè, maxima nobis literatis, qui aliunde quoque apud nostros nullo habemur loco, adhibenda venit cautela, ne, quos in dies opprimunt, tandem penitus exulare cogant, prætexentes Legis Corneliae de falsis sanctionem poenalem, quam Modestinus *in L. 33. ff. ad L. Cornel. de fals.* his verbis recitat: "Si quis falsis instrumentis nullo auctore habito uritur, lege corneliam, aqua & igni ei interdicitur. Sed è diverticulo in viam. ,

Missis igitur prioribus virorum doctorum opinionibus, nobis vero quam proxima videtur THOMASSINI de vet. & nov. Eccles. disciplina P. I. L. 2. c. 21. sententia, quum dicit. "Primis tribus Ecclesiae saeculis Parochias in agris & ruri nullas, in urbibus aut nullas iterum, aut certi paucissimas extitisse; etenim, licet lubenter BINGHAMO *in Originibus Eccles.* L. IX. C. VIII. §. 3. assurgamus, concedamusque: numerosis in civitatibus quales Hierosolyma & Roma erant plures unâ ecclesiâ, intellige pro illo tempore *aediculas*, *oratoria*, certa loca in privatorum domibus cultui divino ibidem peragendo specialiter de-

putata

putata BONA *de Reb. Liturgic.* L. I. c. XIX. n. 1. à temporibus indè Apostolorum fuisse ; nondum tamen evictum est , his ædicularis , his oratoriis , singulis singulos Presbyteros fuisse in perpetuum affixos , multò minus constat populum in partes divisum huic potius quam illi ecclesiæ fuisse annexum ; imò potius ex antiquitatibus ecclesiasticis , ipso etiam fatente Binghamo patet , ecclesiæ mixtim à populo fuisse frequentatas , & munia in urbicis præsertim oratoriis obeunda , in commune à Clericis ecclesiæ Matricis & Episcopalis fuisse adimplera ; ita quippe ferebat mos istius ætatis , ut Dominico die Cathedralis Ecclesiæ Presbyteri , qui tunc omnes Parochorum officia exercebant , ad regendas minores ædicularis S. mitterentur ; neque semper unus , idémque ad eamdem , sed quem pro suo Episcopus arbitrio , & plena , quā pollebat , potestate eligebat . Postea quum autem persecutionum furor deserbuit , Christianisque sub quarti seculi initium pax , & plena religionem profitendi libertas fuit per CONSTANTINUM M. reddita : uti fiebat exactior Dioecesum divisio , ita & ipsæ Dioeceses in Parocrias cum urbicas , tum rusticas dividi coepere : Instituti hujus testis statim nobis est S. EPIPHANIUS , qui *Hæres. 69. n. 1.* & *hæres. 68. n. 4.* refert , ineunte quarto seculo in urbe Alexandrina plures fuisse Ecclesiæ , quæ omnes Archi-Episcopi ditioni subessent , & quibus singulis sui præficerentur Presbyteri , ita enim scribit . “ quotquot Alexandriae Catholicæ “ communionis Ecclesiæ sunt , uni Archiepiscopo subiectæ , suus

“ suus cuique præpositus est , qui Ecclesiastica munera iis ad-
“ mini strat. “ Ostendit item *Apolog.* 2. ATHANASIUS Alexan-
drinus an. 326. Episcopus constitutus , suo tempore in agro
Alexandrino , pagisque ejus majoribus & ædes sacras fuisse &
Presbyteros illis attributos incardinatosque ; etiam ex *can. VI.*
Coucilii Sardicensis an. CCCXLVII. habitu non obscurè colligi-
mus urbeculas & pagos suos habuisse Presbyteros Parochos , ver-
bique canonis huc referre placet : “ licentia vero danda non est
“ ordinandi Episcopum aut in vico aliquo , aut in modica civita-
“ te cui sufficit unus Presbyter , quia non est necesse ibi Episco-
“ pum fieri , ne vilescat nomen Episcopi , & auætoritas. “ Per-
vagata statim fuit per orbem Christianum laudata isthæc Paro-
chiarum institutio ; in Gallia enim concilium Vafense modò se-
culo quinto ineunte *de Parochiis extra civitatem* loquitur ; juvat
ex Labbeo describere canonem ejus Concilii ad An. CCCCXLII.
celebrati , secundi , qui ita fonat : “ Hoc etiam pro ædificatione
“ omnium ecclesiarum , & pro utilitate totius populi nobis placuit ,
“ ut non solum in civitatibus , sed etiam in omnibus parochiis
“ verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem... “ Hæc
igitur ratione illo ævo Parochiales Ecclesiæ originem suam
tam in civitatibus quam in pagis nanciscebantur , non quidem
omnes eodem mense , vel anno , nec ex generali quodam decre-
to , sed prout res cuiuslibet dioœcesis id ferrent , cuius Episco-
po semper illud dijudicandum relinquiebatur , quot essent erigen-

C

da,

da, consecrandaque templa; quotque administratorum opera sibi
in obeundis diversis officiis ad se tanquam summum civitatis ac
territorii sui inspectorem pertinentibus opus foret. Atque de
Origine Parochiarum satis dictum; percrutemur earum basim
& fundamentum.

§. III.

Fundamenta Parochiarum, uti nunc usurpantur; & con-
menta Pa- ventuum Ecclesiasticorum vetustissimum ac Sanctissimum
rochiarum, istud est, quod Act. Apost. legitur c. 2. v. 42. de primis
Christianis: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum,
& communicatione & fractione panis, & orationibus.* Quibus ver-
bis triplex communio, quam fideles qui toto orbe sunt, secundum
uniri & conjungi debent, exprimitur: scilicet *communio doctrinæ*,
quæ prima est & necessaria, quam TERTULLIANUS *sanguinitatem doctrinæ* appellavit. Deinde *communio orationis*,
quæ ut illam primam supponit, sic illius veluti fructus est. Po-
stremò *communio pacis*. Nam divina Eucharistia, quæ convivia
Christianorum sancta fecit, in quibus panem frangebant, *Jus*
pacis & unitatis, ejusque perceptio *communio pacis*, à TER-
TULLIANO de Virginib. veland. 2. *jus pacis & nomen fraternitatis*,
ab aliis *pax* simpliciter dicta est. Triplex igitur hoc est Christiano-
rum vinculum, quod societatem & connexionem, immo uni-
tatem eorum constituit, sc. *communio doctrinæ Apostolorum*, quæ

qui

qui carent, Hæretici dicuntur : *communio orationis*, quam qui abhorrent, schismatici sunt ; *communio Sacramenti Eucharistici*, quā peccatores privantur ; quibus communionibus conservandis Parochiæ institutæ sunt. . Evidem his tribus communitatibus simūl arctè retinendis favebat admodum prisca Christianorum consuetudo, quā unum in locum convenienter omnes præside Episcopo, à quo uno divinum verbum audierunt, cujus ore preces suas fuderunt, & de cuius manu S. Eucharistiam, cibum nempe & potum acceperunt. Hoc in loco, aut non procul ab eo Baptisterium erat ad regenerationem Christianorum, ibidem oleo ungabantur, ut Spiritum S. reciperent : ibi ad ordines S. promovebantur, qui digni judicati fuerant : ibi altari reconciliabantur, qui ab Ecclesiâ ejecti erant : ibi matrimonio copulati fuere, qui ei se dévoverunt : ibi virgines & viduæ consecratae sunt frequenti Ecclesiâ & collaborante ; ita ut & cùm peccatoribus ploraret, & cum Sacerdotibus oraret, & cum poenitentibus, ac etiam cum illis qui ad ordines promovendi erant, jejunaret, & cum reconciliatis gauderet, conjugibus clamaret, ac matrimonia illorum votis persequeretur ; virginibus & viduis faveret, & speciali honore deinceps illas revereretur : sic fiebat omnia omnibus. Tunc Sacerdos unus omnium vota, omnium preces, omnium sacrificia offerebat, circumdatus viduis & virginibus, pulcherrimis Ecclesiæ ornamentis, terræ angelis, cœlorum civibus : & Sacerdotali ordine ac ministerio Clericorum stipatus, sine quo nihil quicquam

quam in Ecclesia astitabat. Ibi aderant omnes & ex urbe, & ex agris. . . Sed crescente fidelium multitudine (uti proximo paragrapho fuit demonstratum) coetus Ecclesiasticos multiplicari necesse erat, qui distinctis & diibus S. celebrati fuere. Quibus successere, quas nunc Parochias dicimus; proque ipso Episcopo sunt, quando abest, Rectores hi, quos Parochos appellamus. Hac divisione facta nihil antiquius habuit Ecclesia, quam ut ea nihil quicquam detrahatur & communioni doctrinæ Apostolicæ & communioni orationum, & communioni Sacramenti Eucharistiae, cum quibus ipsa nata est, & ex quibus cœpit incrementa, quārum communionum fructus longè præstantissimi diu in Ecclesia viguere: confessatio hospitalitatis, appellatio fraternitatis & jus pacis ut ait saepe laudatus TERTULLIANUS. Et ista quidem sunt fundamenta, lapidesque angulares, quibus superaedificatae sunt Parochiae, quibusque coadunatae perdurant. adi Jo. FRONTONEM in elegantissimâ, simul & rarissimâ dissertatione, quam de Origine Parochiarum inscripsit, cui nos, quæ hoc s. attulimus, debere, ingenui profitemur.

§. IV.

Note & characteres Ecclesie Parochia- **P**osito nunc fundamento concinnus rerum ordo efflagitare videtur, ut notas characteresque effingamus, quibus Parochialis ab aliâ qualibet valeat Ecclesiâ dignosci.

Principio autem, & antequam progrediamur, advertere oportet, canonum interpres in figurandis notis, exprimendisque

que characteribus, more suo, non consentire. Nos Fr. de ROYE Cujacianæ scholæ celebrem propagatorem sequemur, eique nostra addemus. Accuratus hic scriptor in nitidissimis suis *Jur. Canonicorum Institutionibus Lib. II. tit. 14. n. 3. 4. 5.* ait, tres illas esse notas Parochialis Ecclesiarum:

Prima est, ut suo jure habeat lavacrum sacrum, id est Baptisterium, seu fontem Baptismalem, aut, ut verbis SIDONII APOLLINARIS Lib. II. Epist. 2. loquar Piscinam sacram, quæ à Dioceſano Episcopo in eâ sit instituta. Can. 7. Vernenſ. Concilii sub Carolo Calvo. Cap. un. de Baptism. in Clement. Unde Parochialis Ecclesia dicitur Baptismalis in can. plures 54. can. statutum 55. caus. 16. qu. 1. add. can. 48. synod. Meldenſ. can. 12. Ticeſ. Imo à SIDON. APOLLIN. Lib. 4. Ep. 15. επορίκων vocatur Baptisterium. Conf. ALTESSERRRA in comm. ad cit. Clement.

Secunda est, ut suo jure decimas capiat in suo territorio, in suo districtu, ut loquimur, non etiam si ex alienâ concessione, alieno & emendicato beneficio. Notam hanc rusticis olim fuisse peculiarem Parochiis, abundè nos docet historia introducti juris decimandi; decimæ enim quando seculis septimo & octavo invaserunt, statim Parochis adsignabantur cum voluntate populi, tunc vel maximè sacratissimorum canonum præscripto. ESPEN J.C.U. Part. II. tit. XXXIII. cap. 3. n. 2. 3. seqq.

Ter-

Tertia demum est , ut habeat *sepulturam* , hoc est , ut jure communi fideles ejus territorii in eâ , seu , uti quondam usu veniebat , in ejus Κοιμητήριῳ [intellige dormitorio , ob mortuorum resurrectionem , quam Christiani credimus] debeant sepeliri . Et hoc antiquis temporibus signum fuisse characteristicum ab INNOCENTIO I. PP. dicimus , qui in Epist. ad Decentium I. cap. 5° Parochias extra urbem Romanas cæmeteria appellat . Istæ igitur sunt notæ , quarum meminit de ROYE , quásque nos paulò fusili descriptissimus , quibus etiam , veteri in jure hærendi si animus foret , binas adhuc facili possemus addere negotio ; nempe

1. *Jus Campanarum* , quas olim solis Parochis Sacerdotibus permisum fuit habere , ut populum congregare possent ; licet dein erectis collegiis Canonicorum & Monachorum conventibus Jus istud fuerit communicatum : & demum familiis mendicantium Fratrum etiam concessum , ut unam saltim campanam haberent . Extrav. un. de offic. custod. inter commun. add. cap. 10. X. de Privileg. adi sis ALTIATUM Parerg. jur. L. VIII. c. 11. ubi disquirit : “ an immodici , importunique campanarum pelvium pulsantur tores officio judicis compelli possint , ut cessent ? ”

2. *Jus servandi , custodiendique corpus Christi* , seu sacratissimum Eucaristiæ Sacramentum , quò fidelibus inter vivos , & mortis causâ ex usu possit esse . Jus custodiæ Sacramenti Eucharistici veteri tempore Parœcis proprium competiisse , abundè colligimus

ex can. 18 Conc. Arelatensis sub Carolo; Cap. 20 Turonenſ. sub Carolo; Moguntini. Cap. 27, aliisque ab A. AUGUSTINO relatis in Epitome J. Pontif. Lib. XXIII, tit. 5, & Lib. XXIV, tit. 6. Jung. J. DARTIS in tract. de Euchariftia Oper. p. m. 478. Hæc secundum veterem Ecclesiæ disciplinam. Hi characteres Paroeciarum originarii primitivique.

Nunc quum jus antiquum cum moribus antiquis jam diu migravimus, novos effingere cogimur characteres, qui prioribus additi, si vel omnes quod raro, vel maximam saltim partem concurrant, tutum ad Parochiam discernendam argumentum valeant praestare Adsit igitur *primum* : *Vicinia*, ædium plurium collectio, locus certis finibus limitibusque circumscriptus, in quo populus alicui Ecclesiæ Episcopi auctoritate deputatus degit de hisce finibus regundis audiamus Tridentinos Patres *Sess. 24. de reform. cap. 13. in fin.* “ In iis civitatibus ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, sed promiscue potentibus Sacra menta admistrant, mandat S. Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas proprias que Parochias unicuique suum perpetuum peculiarémque Parochium assignent. ” &c. Sapienter admodum Tridentina Synodus distinguendum populum, peculiarésque cuilibet Parochiæ Sacerdotes præficiendos edixit, aliter enim confusio, fœcunda discordiarum mater vix evitaretur; fors etiam ab oculis perspicacissi-

ebo!

morum

morum Patrum imago illorum temporum observata est, quibus ipsi Episcopi ob Dioecesum suarum fines turbatos inter se collidebantur, quorum ardor decretis variorum conciliorum tandem fuit compressus. *Concilium Constantinopolitan.* disertè prohibet *can. 2,* “ut ne ultra Dioecesin in Ecclesias extra suos terminos accedant Episcopi, & Ecclesias confundant.” *In Concilio VI in Trullo c. 20.* Disponitur, “ne Episcopo liceat in aliâ, quæ ad se non pertinet, Ecclesiâ publicè docere.” *In Concilio Antiocheno c. 10.* “hi, qui sunt in vicis vel regionibus (Chorepiscopi) admonentur, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque curâ & sollicitudine gerendâ contenti sint.” *Conf. c. 18, Conc. Ancyranus.* Ne igitur aliquando & minorum Ecclesiarum Reatores ardor iste corriperet, Synodalibus Tridentini constitutionibus, malo providendum erat.

Dein desideramus locum excipiendis confessionibus destinatum, quem medii ævi scriptores vel *cellulam*, vel simpliciter *confessionem* appellabant, barbari verò nostri *Sedem confessionalem* dicunt, Hunc altari vicinum designat *Conc. Parisiense* an. 829, part. I. 46. Olim ille semper publicus, omnibusque conspicuus esse debebat, de quo noster SIFRIDUS Colonensis Archiepiscopus in generali Synodo an. 1280 habitâ, statuit “ad Confessionem audiendam communem & aptum locum in Ecclesia, ut ab omnibus videri possint, sibi eligant sacerdotes (Parochialium Ecclesiarum;) in

locis

“ locis autem obscuris & tenebris confessiones non audiant, nec
 “ extra Ecclesiam nisi in magnâ necessitate, vel infirmitate; con-
 “ trarium facientes, sententiam excommunicationis se noverint in-
 “ cursuros. “ Plura si lubet, vide apud MARTENE de antiquis
Ecclesiæ ritibus Lib. I p. II. c. VI. art. III. n. 8.

Cum loco Confessionibus deputato ulterius concurrat, opor-
 tet Potestas clavium, puta facultatem, auctoritatēmque solvendi &
 ligandi in foro interno, & pœnitentiali, ut scholæ loquuntur. . .
 Fortasse non inutile erit, paulisper h̄ic extra oleas vagari, &
 quædam de ordinario pœnitentiæ ministro ex antiquitatibus Ec-
 clesiasticis repetere. Primis Christianæ religionis temporibus præ-
 cipuam circa pœnitentes curam, nec non lapsos reconciliandi po-
 testatem penes Episcopos fuisse dubitari nequit S. CYPRIANUS
Epistola in edit. J. Felli, XVII, conquerens de quibusdam Presby-
 teris, qui pœnitentes ante ætam pœnitentiam, contemptâ ca-
 nonicâ disciplinâ conciliahant, inter alia reprehendit, quod se in-
 consulto id facerent, nec, quæ ejus verba sunt, *Episcopo honorem*
Sacerdotii sui & Cathedræ reservarent. Hanc porro disciplinam
 pluribus seculis durasse, ut publici saltem criminosi, & pœnitentiæ
 publicæ subjecti, non nisi ab Episcopo ejusve jussu speciali recon-
 ciliarentur, constat ex *can. 3. Concil. Carthaginens. II, an. 390,*
 ubi legitur; “ ab universis Episcopis dictum est: chrismatis con-
 fectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiat; vel re-

" conciliare quendam in publicâ missâ Presbytero non licere : hoc
 " omnibus placet. " Apud Gratianum *Caus. 26. q. 6. c. 1.* Hæc
 tandem Episcoporum auctoritas in poenitentiis imponendis , mo-
 derandis , & poenitentibus reconciliandis , post seculum septimum
 Iensim Presbyteris magis , ac frequentius quam olim cœpit com-
 municari ; quum enim septimo seculo labente pro peccatis *occultis*
 desit imponi *pœnitentia publica* . unâ quoque vulgatum fuit , pœ-
 nitentiam *occultorum criminum* Presbyteris concessam , *publicorum*
 verò Episcopis reservatam. " Quo magis ergo , sunt verba ESPE-
 " NII Part. II. tit. VI. c. 5. labentibus seculis pœnitentia publi-
 " ca desit ; atque pœnitentia occulta & privata facta frequentior,
 " etiam auctoritas pœnitentias imponendi , & pœnitentes recon-
 " ciliandi ad Presbyteros magis , magisque devolvi cœpit ; adeò
 " ut tandem nonnisi solennis pœnitentia Episcopis reservata re-
 " manserit. " Probè autem animadvertisendum venit auctoritatem
 hanc non omnibus sine discrimine Presbyteris competuisse , nec
 omnes indistinctè quoslibet pœnitentes potuisse absolvere , altari-
 que restituere , sed inerat facultas illa solis illis Presbyteris Paro-
 chis , qui ad curam animarum tanquam proprii Sacerdotes erant
 populo præpositi & deputati ; quæ disciplina adeò invaluit , ut
 confessio facta alieno Sacerdoti , & absolution ab illo sine licentia
 proprii Sacerdotis obtenta pluribus seculis *invalida* fuerit reputata.
 Plura in hanc rem , curiosi legere possunt apud MORINUM de
 administratione Sacramenti Pœnitentiae.

Gloss.

Quartūm denique opus est , ut qui Ecclesiae p̄œst , Re-
ctor , animarum gerat curam , sacramentāque ministret , *jure suo* ,
nomine proprio , non *alieno* , cap. X. de *Præbend.* . Ac nè illud
quidem à nostro instituto alienum erit , brevi quodam excursu
sparsis floribus hoc capitulum , quod est *Conciliij Lateranensis ha-*
biti sub Innocentio III. ornare. Tenendum igitur est : Patronos
& Advocatos Ecclesiarum vetari , quidquam exigere ab Eccle-
siis præter antiquos & moderatos redditus ab initio institutos cap.
præterea 23. de *jure Patron. can. Eleutherius* 30. XVIII. qu. 2. Ob
id damnatur in *hoc cap.* prava confuetudo quarumdam regionum ,
in quibus Patroni paroecialium Ecclesiarum & alii , proventus
ipsarum sibi penitus fore vindicabant , modico Presbyteris reli-
eto , veluti quartā quartæ , id est sextā decima decimaru m , quæ
impar esset congruæ sustentationi . Itaque statuitur h̄c , ut non
obstante hujusmodi consuetudine , Presbyteris , penes quos est
cura Ecclesiae , congrua portio assignetur . De Monachis & Canoni-
cis Regularibus , qui habent paroeciales Ecclesias Monasteriis ad
nexas idem cavitur , ut Vicariis perpetuis congruam portionem
assignent , unde hi se se alere possint , hospitalitatem colere , &
jura Episcopalia p̄œstare . Cap. avaritiae 10. cap. de Monachis 12
X. de *Præbend.* cap. sicut 2. de *Supplend.* neglig. p̄œlat. cap. ult. §
ubi autem 2. de decim. in VI. Quod quidem optandum esset , ut
multa collegia sacerdotalium etiam quos vocant *Canonicorum* , &
monasteria his temporibus observarent . Excessus Monachorum

D 2

hac

hæc in re, quamvis acriori paululum stylo notavit ARNULPHUS
 Lexoviensis in Neustria Episcopus, qui teste Wilh. Tyrio L. 7. c. 1.
 & Aimonii continuatore L. 5. c. 52. vixit ad An. 1182. quo obiit.
 Epist. LXIX. "Est quiddam, quod tam meam quam alias vehe-
 " menter angit Ecclesiæ, quorumdam scilicet rapax, & intem-
 " perans audacia Monachorum, qui quod liberius affluant secula-
 " ris potentiae præsidia redimentes, primò Episcopis omnem obe-
 " dientiam subtrahunt, & Parochiales Ecclesiæ cum Altariis &
 " decimationibus ceterisque beneficiis de manu laicæ recipere pa-
 " Etis quibuslibet, sacrilegè temeritate præsumunt. In his ergo
 " ab eis nec Canonicus ordo, nec Episcopalis assensus exigitur,
 " sed devocatis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tantâ
 " paupertate ibi constituant Sacerdotes, ut ad exhibitionem suam,
 " & ad onera Ecclesiæ portanda, non habeant quod opilioni suf-
 " ficeret, aut cursori. Generale est hoc, sed in Episcopatu meo
 " vehementius hæc est grassata malignitas, nec sibi nobis cujus-
 " libet rationis obtentu, sed fallaciis, ac muneribus, prædiô-
 " que violentiæ secularis obsistunt. " Hæc ad illustrandam ca-
 pituli primam partem sufficiant, alteram vero partem, seu pa-
 ragraphum ejus unicum, qui proprius ad nos spectat, notes
 velim: Rector Parochialis Ecclesiæ curam animarum per se, non
 pro Vicarium exercere debet ex hoc §. & cap. quia nonnulli 3. de
 Cleric. non resid. quia cura animarum est munus personale, in
 quo electa est industria & diligentia personæ L. inter artifices ff.

dte

de solut. cap. quoniam Apostolica 43. §. 1. de off. jud. de leg. can. placuit 15. XVI. qu. 2. Illis verbis, "magis illius ele^{ct}am negligenter ab h^{er}eticis, ut impunè ibi sint, & suam diligentiam fuisse præventam, ut eo modo ejus cura sollicitior vitaretur." Unde ne condu^{ct}itiis Presbyteris Ecclesiae committantur, vetitum can. præcipimus 5. XXI. qu. 2. Et qui habet Parceialem Ecclesiam, per se illi deservire debet in ordine, quem ipsius Ecclesie cura requirit, id est, in ordine Presbyterali, quia Parochi officium non valet sine Altaris ministerio adimpleri cap. ex literis 10. de excess. prelat. Qui habet, inquam, Parochialem Ecclesiam per se, non per Vicarium, aut Mercenarium illi deservire debet, nisi forte ipsa Ecclesia sit annexa dignitati vel præbendæ: quo casu, qui hujusmodi habet præbendam, cùm ipse debeat deservire in majori Ecclesia, Ecclesiarum paroeciali debet imponere Vicarium perpetuum canonice institutum, cui adscribatur congrua portio de fructibus ipsius Ecclesie, alias illa privatur ipso jure. In Ecclesiis Paroecialibus, quæ sunt annexæ dignitati vel præbendæ, vel mensæ Episcopi, vel capituli, deserviri debet per Vicarium perpetuum (qui quidem nomine tantum sunt Vicarii, non re, quum titulum habeant perpetuum, & per se subsistentem, uti loquitur ESPEN Part. II. tit. XXXIV. cap. 1. n. 26. aliisque locis) idem dicendum est si uniantur monasterio, vel canonice regulari cap. avaritiae 10., cap. de Monachis 12. X. de præbend., Clementin. de Jure Patronat. Hac de re notantur Monachi S. Bertr.

ni olim Morinensis Diœcesis ; hodiè S. Audomari , quòd Ecclesiæ
 Parochiales unitas Monasterio curarent per annuos & conductios
 Presbyteros. Steph. TORNACENS. Epist. CC. " Ecclesiæ ha-
 " bent apud cœlect, in qua per annuos & conductios, mercenariof-
 " quæ Sacerdotes, sàpè & per se ipsos, (quod sacris canonibus in-
 " hibitum est) Parochialia ministrant. " Eandem in plures Germaniæ
 Ecclesiæ corruptelam irrepsisse deplorat CONRADUS Cardi-
 nalis Portuenis Legatus Apostol. in Concilio , non hîc Coloniæ,
 ùt voluit BZOVIUS in annal. ad An. 1225. N. 4. sed Moguntiæ
 hâbito An. M. CCXXV. ubi can. 12. Ita fatur : " quia enormis
 " quædam consuetudo in quibusdam Alemaniæ partibus contra
 " Canonicas sanctiones invaluit , ut ponantur in Ecclesiæ conductio-
 " nes Sacerdotes Vicarii temporales : ne id fiat de cætero , aucto-
 " ritate legationis , quâ fungimur , omnibus modis inhibemus.
 " Sed cum Vicarius poni debet & potest , perpetuè instituatur , id-
 " que assensu & auctoritate Diœcesani & Archidiaconi loci illius:
 " nec Episcopus vel Archidiaconus talem instituat ; nisi ei de
 " bonis Ecclesiæ coram eo tantùm fuerit assignatum , unde jura
 " Episcopi & Archidiaconi possit persolvere , & congruam &
 " sufficientem sustentationem habere. " Infiniti sunt aliorum con-
 ciliariorum canones , qui hanc abusionem tollere adlaboravere , ve-
 rùm irrito prorsus conatu ; norunt enim quod inferiorem spectat
 Germaniam , qui in patriâ nostrâ historiâ paulisper sunt versati: quo
 modo ad Tridentini Concilii tempora usque , rurales Colonensis

alia-

aliorūmque vicinarum Dioecesium Ecclesiæ scattierint *Mercenariis*
istis *Vicariis*; item quam səpissimè Capitula affixis sibi Parochiis
suos Canonicos imposuerint, qui penes suam Collegiatam continuo
morantes, vix Dominicis aut festis diebus ad rurales sibi concre-
ditas Ecclesias advolarint, sacra ibidem peracturi. Plura, imo
his majora ex fastis Coloniensibus addere, unāque (quod hīc ta-
men per transtennam dictum sit) ostendere, quod inde ista (quæ
adhuc in Cathedrali, aliisque collegiatis frequentantur) vul-
gariter dictæ *obedientiae*, & *obedientiarii* Canonici suas ha-
buerint natales, nī, me hoc negotio multis Collegiis ru-
borem excutere posse, verecundè timerem. Porrò quod
ad superiorem pertinet Germaniam, vel Centum Gravamina
Noremburgæ Legato Adriani VI. Summi Pontificis An. MDXXIII.
oblata, abusum hunc illo adhuc tempore fuisse continuatum.
satis evincunt; inter reliqua enim Imperii Principes &
hoc n. 85, gravamen proferunt: « pleraque item Parochiales
« Ecclesiæ Monasteriis, Prælatis, aliisque Ecclesiarum curatarum
« rectoribus, incorporationis (ut vocant) seu alio quopiam jure.
« Subditæ sunt: quas, et si ipsi juxta canonum constitutiones,
« per se se providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas,
« beneficiorum dotem ac decimas plerumque sibi ipsis reservant
« & præterea tam enoribus absentiarum pensionibus gravant
« atque onerant, ut conductitii isti Parochi, eorumque Vicarii,
« vice plebani, Sacellani, Coadjutores, ceterique conductarum

Eccle.

“ Ecclesiarum administratores, compétentem sustentationem, de-
“ centiāque alimenta inde habere nequeant. Quo sit (nam unde
“ conductitii isti pastores, & mercenarii vivant, habeant oportet)
“ ut illicitis exactionibus, locatas sibi oviculas miserè deprædent,
“ dilanient, omnemqüe substantiam tantùm non absumant, &c.
Ita legit ORTHUINUS GRATIUS, in suo *Fasciculo rerum ex-*
petendarum & fugiendarum edit. Londinensi, Tom. I, p. 372. •
Tandem Tridentini Patres, quum radicem mali, solvendo unio-
nes Parochiarum Collegiis Monasteriisque retrò factas, evellere
penitus nequirent, saltem noviter urgere Lateranensis Concilii
decreta voluerunt, statuentes: “ut beneficia curata, quæ cathedralibus,
“ collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Colle-
“ giis, aut piis locis quibuscumque perpetuò unita & annexa reperium-
“ tur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicitè
“ providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi
“ ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire vide-
“ bitur. Animarum cura laudabiliter exerceatur. Seß 7, cap.
7. de reform. conf. cap. 5. ejusd. seß. 1. it. seß. 25. cap. 16. de reform.
Sed hæc ad illustrandum hunc characterem sufficient, pergamus
ad ultimum, qui est: ut Ecclesiæ paroecialis Rector *solus*, uni-
cusque curato beneficio sit investitus, suaquè Ecclesia, ut phrasí
apud mediæ ætatis Scriptores Sacros passim occurrente, utar, *in-*
cardinatus, non autem cum alio in solidum, licet comministris &
coadjutoribus in functionibus suis Ecclesiasticis possit sublevari;

accom-

accommodata est in hanc rem S. Hieronymi sententia , quæ apud Gratianum in cap. 41. caus. VII. qu. 1. his verbis exprimitur :
 "in apibus princeps unus est : grues unam sequuntur ordine lite-
 " rario : imperator unus , judex unus provincia. Roma , ut con-
 " dita est , duos fratres simul habere reges non potuit , & parrici-
 " dio dedicatur. In Rebeccae utero Esau & Jacob bella gesserunt
 " singuli Ecclesiarum Episcopi , singuli Archipresbyteri , singuli Ar-
 " chidiaconi , & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus niti-
 " tur. . " Non minùs quoque illustris est canon , qui apud IVO-
 NEM Carnotens. part. III. Decret. cap. 49. & apud Gratianum
 caus. XXI. qu. 2. n. 4. legitur , & , si Rhemensis Concilii an. 813.
 habiti non sit , tamen ad ea tempora referendus venit ; ita autem ,
 sonat : " sicut in unaquaque Ecclesia unus Presbyter debet esse , ita
 " ipsa , quæ sponsa , vel uxor ejus dicitur , non potest dividi inter
 " plures Presbyteros , sed unum tantummodo habebit Sacerdotem ,
 " qui eam castè & sincerè regat. Undè interdicimus , ut nullus
 " præsumat Ecclesiam inter duos vel plures dividere : quia Ecclesia
 " Christi uxor & sponsa debet esse , non scortum , sicut Calixtus
 " Papa Epist. 2. c. 3. testatur. " Vid. quoque GONZALEZ in
 Regul. VIII. cancell. Gloss. 6. n. 16.

§. V.

POst originem Paroeciarum , post fundamenta , characteresque
 cognitos , consequens est , ut de Parochorum quoque diver-

E

sis

Multiplex
 ac varia
 Parocho-
 rum deno-
 minatio.

sis appellationibus, nominibus, & origine, nec non de prærogativis eorum, juribus & officiis cognoscamus, quia per eos, qui parochiis præsunt, effectus rei accipitur; parum enim est urbicas extare, rusticasque Ecclesias, nisi sint, qui legitimè præesse possint.

Vetus Horatii Scholiaest *Sat. V. lib. I.*, "Parochi erant, qui Legatis reipublicæ causâ iter facturis necessaria præbebant, *ἀπὸ τοῦ παρέκτειναι* à præbendo. " & *Lib. II. sat. ult.* Parochi nomen accipitur pro eo, qui coenæ pater est, id est, qui coenam amicis præbet. Atque inde Parochorum nomen sunt, qui tractum purant; quod scilicet *panem Domini* præbeant Ecclesiæ. derivatio non contemnenda; fortè tamen verius est, corruptam esse vocem, & rectius dici *Parœciam* à græco *παροίκος* Glossæ *παροίκος* accola *παροικῶ δοι,* juxtra te habito; uti supra quoque Parochiam, vel potius paroeciam à græco *παροικα* vicinia derivavimus. Est igitur, sicuti *παροικα* vicinia, *παροικῶ* juxta habitare. Glossa Vet., ita Parœcus, *παροίκος* vicinus & accola, qui eundem cum reliquis locum accolit, & eamdem ædem Sacram habet. Facit POMPONIUS in *L. Pupillus* 239. ff. de *V. S.* in nativa igitur significatione Parœcus dicendus omnis ille foret, qui est de Parochia; attamen usu obtinuit, & in jure sacro frequentatur; ut per excellentiam Parochus, vel Parœcus dicatur ille Presbyter, cui *cura & administratio* *cujusdam Ecclesiæ*

Ecclesiae, eique contributae Christianorum familie ab Episcopo est demandata.

Porrò pluribus, variisque hos Presbyteros vocabulis denominatos tam in jure canonico quam in scriptoribus Ecclesiasticis offendimus. Frequenter PLEBANI vocantur à plebis, cui præsunt, cura; *plebe* autem & *plebes* vocabula utramque sæpe significant, & populum, & Ecclesiam, in qua populi fit conventus. Hac notione occurrit apud GREGORIUM in cap. 40. de elect. Plebanus S. Pauli de Venetiis; in cap. 29. de off. & pot. jud. del. Plebanus à Sophia; in cap. 3. de off. jud. ord. Plebanus S. Perri; in cap. 3. de his quæ vi met. Plebanus Ecclesiae; in cap. 9. de arbitr. & in cap. 8. de donat. Plebanus de Piscia; demum in cap. 2. ut lit. non cont. non proc. Plebanus S. Marci de Venetiis; alia veterum scriptorum loca qui desiderat, adire poterit CANGIUM in Glossar. med. & infim. Latinit. Contentiunc etiam chartæ, diplomataque medii ævi, in quibus constanter Parochi sub *Plebanorum* nomine exhibentur. Priusquam ad alia discedamus, duo hic observes velim: unum, quod Presbyteris Parochis nomen *Plebani* perpetuum haud fuerit: aliquando enim Parochianum omnem, seu degentes in Parochia significavit can. 5. qui est concilii Nannetensis, caus. IX. qu. 2. nullus Presbyter, aut Diaconus alterius! Plebanum (nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit) ad missam recipere audeat. “ Alterum quod non omni-

bus indistincte Parochis , minorumque Ecclesiarum (succursales aut filiales eas vocant) Rectoribus denominatio ista competitierit, verum iis duntaxat , qui vel principalioribus Ecclesiis . v. g. apud Agrippinam Coloniam undeviginti nostri Parochi , ideo adyerten- te GELENIO de Magnitud. Coloniae p. m. 392. Plebani dicti op- posite ad familiae Pastores collegiatarum , & quorumdam ho- spitalium , vel majori titulo nempè plebaniæ , cui plures minores Ecclesiae , aut Capellæ erant subiectæ , cap. I. ubi glori. ne cler. vel mon. in VI. præficiabantur. Juvat illustrare hunc locum egre- gia sequioris ævi charta , quæ Capitulum SS. Apostolorum iterata vice Plebanum nominat quemdam Antonium olim Rectorem pa- rochia Lechniacensis , cui filiales Ecclesias cum Sacellis subfuisse, adhucumque subesse omnibus constat. Ipsæ autem Tabulæ apud Aegid. GELENIUM in Tomo XII. diplomatum , vetustorūmque aliorum monumentorum nondum editorum , sic sonant :

“ Noverint universi hanc literam visuri , quod nos Henricus
 “ Dei gratiâ Prepositus , Fridericus Decanus & Capitulum Eccle-
 “ sie SS. Apostolorum collationem & donationem aree & edificio-
 “ rum , que honestus vir Antonius Plebanus de Legenich in do-
 “ tem tradidit ipsi Ecclesie empta ab uxore & heredibus Helie
 “ militis bone memorie dicti Duvelshovit ratam habemus & gra-
 “ tam renunciantes Homagio quod Prepositus Ecclesie nostre de
 “ premissis consuevit habere. Item dicimus expresse quod simi-

liter

“ ter ratam habemus ordinationem quam fecit de area & edificiis,
 “ que fuerunt olim dos ipsius Ecclesie , sicut & ipsius *Plebani* li-
 “ tera supra hoc confecta continetur expressum. In hujus autem
 “ rei robur & testimonium presens litera conscripta est Sigillis no-
 “ stris communita, Actum & datum Anno Dni M, CC, quin-
 “ quagesimo tertio. ”

Non raro etiam Parochi CURIONUM appellatione veniunt;
 cuius denominationis hæc origo ; quum vocabulum Parochia
 uti toties insinuatum , de barbarie suspectum latè scribentibus
 fuit visum, elegantioris linguae studiosi substituerunt vocem CU-
 RIÆ ; unde Parochos more Romano CURIONES , Parochianos
 CURIALES , Ecclesiæ ÆDES CURIALES nominarunt. vid.
 BUDÆUS in annot. ad L. ult. ff. de muner. & honor. ONUPH-
 RIUS PANVIN. in interpret. obſcur. vocab. Eccles. V. Parochia
 viderunt enim JCti humaniorcs insignem quamdam inter
 CURIAS paganorum , in quas Romulus populum distribuit , &
 Christianorum Parochias affinitatem , & ejusmodi quidem inter-
 cedere , ut verè dicere posses, politiam civilem , sicuti in aliis bene
 multis (quantum quidem salvâ religione fieri potuit) ita & hoc
 in instituto æconomiae Ecclesiastice prævisse; adstipulatur ROSINUS
Antiqu. Rom. VI. 2. p. m. 472. inquiens : “ hoc quoque addere vi-
 “ sum est , CURIAS Romæ suisse populi tales quasdam partes,
 “ quales sunt nostro tempore in urbibus quibusdam paroeciaæ. Ut

“enim nostræ parœcœ habent destinatas quasdam ædes & domus,
 “in certa quadam urbis parte sitas, quæ communia sacra, ipsam
 “ædem communem, & sacrorum communem ministrum i. e.
 “Parœcum habent: ita CURIAE erant incolarum urbis partes,
 “non modo locis, sed etiam sacris sibi peculiaribus distinctæ, qui-
 “bus qui præerant, CURIONES vocabantur. “ Collineat huc
 etiam Paul. MERULA de Sacerdot. Romanor. II. 7. dum scribit:
 “ab his CURIONIBUS hodiéque passim per Galliam appellantur
 “curæ Pastores singularum parochiarum. “ Cof. GONZALEZ
 TELLEZ in comm. ad cap. 2. de Paroch. n. 7.

Parochos quoque simpliciter PRESBYTEROS fuisse nomina-
 tos veterum monumenta demonstrant. Synodus Diœcesi. Antisio-
 dorensis An. 578. can. 7. fancivit, “ut medio Majo omnes
 “PRESBYTERI (parochi rurales) ad synodum in civitatem ve-
 “niant. “ In formula habendi synodum Diœcesanam à BUR-
 CHARDO, qui interfuit, adscripta Concilio Salegunstiensi le-
 gitur: “convenientes PRESBYTERI omnes intrent (Synodum)
 “& secundum ordinationis suæ tempus resideant. “ Quibus in lo-
 cis, sicuti & in aliis vetustis canonibus SACERDOTUM & PRES-
 BYTERORUM nomine Parochos designari advertit ESPENIUS
 Jur. Eccles. U. P. I. tit. 18. cap. 2. n. 4. Eodem in sensu SACER-
 DOTUM nomen usurpavit INNOCENTIUS III. in cap. quod
 bis 9. de maj. Et obed., ubi post FAGNANUM observat æternæ

urbis

urbis & memoriae Episcopus BENEDICTUS XIV. *de Jynod.*
Diccesan. III, 5. 1.

Occurrit etiam apud Veteres, quæ hodie vulgaris facta, vox
 PASTOR licet *rarius*, monente id A. MATTHÆO in illustri illo
 opere, cui titulum de Nobilitate fecit, *Lib. II. cap. XXXV. p. m.*
 555.; ètenim tam honorificum antiquitati videbatur nominari
 PASTOR, ut ipsi etiam Episcopi vix sint ausi, eo titulo uti,
 quem soli Christo vero animarum Pastori convenire autumabant.
 ADAMUS BREMENS. *Lib. I. cap. 20. ait* : “hunc (LUN-
 DERICUM III, Episcopum Bremensem) “ etiam tradunt super-
 bum fuisse; quod exinde conjici potest, quia se aliquando CUS-
 “ TODEM, aliquando PASTOREM Bremensis gregis gloriatur.“
 Et ipse fortassis arrogantiæ notam vix effugerem, si aliquando

Parochos PAPAS dictos esse assererem; sed bono sint ani-
 mo Lectores nostri, & priora non è nostris quæso, metiantur
 tempora; PAPÆ appellatio orta videtur à voce infantum cibum
 petentium, quum cibum ac potionem *buas*, ac *papas* vocent:
 quâ de re VARRO *apud Non. 2. 97.*; vel à *nārrāb* i. e. *nu-*
tritius, *pater*; vel ab Hebræorum *Abba*, *pater*: vel contracta ex
 Pater patriæ, quæ appellatio Principum & Imperatorum com-
 pendii causâ scripta olim *Pa Pa*; hoc jam recepto nomine (quo
 Pastores olim officii paterni admonebantur in Ecclesia, nam *Papa*
 patrem venerabilem notat, *nārrāb* *πατέρδ* *ἰεροκόρηγα*, HESY-

SCHIUS)

SCHIUS) tametsi promiscuè ab aliis donarentur Episcopi, nullus tamen in occidente hunc sibi ipse titulum tribuit præter Romanum Pontificem, qui eo nomine tanquam sibi proprio usus est jam inde à Leonis Magni temporibus, usque ad Gregorii VII. ætatem, qui in Synodo Romanâ primus, ut à BARONIO Cardinale ad d. 10. Januarii in Martyrolog. Roman. observatum est, edixit, ut PAPÆ nomen unius sit in orbe Christiano. SIRMODUS ad Emondi Lib. 4. Ep. 1.. paulùm divertitur à voce PAPA, nomenclatura vocis PAPAS, PAPATUS, quæ nomina Clericis, seu Sacerdotibus Episcopo inferioribus tribuebantur; Acta Romanæ Synodi sub Zaccharia P. P. apud OTHONUM, editum noviter ab Georg. Christian. JOANNIS Rer. Moguntiae. Tom. 1. p. 244. in vita S. Bonifacii Moguntini Lib. 2. c. 5. Et ipsa Epistola [D. IESU Christi] “ per manus “ Angeli Domini pervenit ad Romanam civitatem ad locum fe-“ pulchri S. Petri, ubi claves regni coelorum constitutæ sunt, “ & duodecim PAPATI, qui sunt in Romana civitate tridua-“ nas fecerunt vigilias, in jejunis & orationibus, &c. “ JOARUS etiam ad Cedrenum has voces πάπας, & παπᾶς, distinguit: & alteram Summo Pontifici, alteram Clericis minoribus convenire ait. Apud Orientales hieromonachi, & parœciarum re-
stores eā denominatione donari patet ex variis eorum subscriptionibus, quæ in Synodo Jerosolymitana habentur. Conf. SAVARO comm. in Sidonium Apollinar. Lib. VI. Ep. 1. p. m.

378. BINGHAMUS in *Originib. Ecclesiast.* Tom. I. p. m. 76.
CANGIUS in *Glossar. SUICERUS in thes Ecclesiast.* è Patri-
bus Græcis excerpto V. πάτρας CANGIUS iterum in *Glossar.* ad
Scriptores med. & infim. Græcitatis V. πάπας, παπᾶς.

A PAPIS descendamus ad CARDINALES, quo nomine
Parochos ab aliis Presbyteris, nulli titulo, id est Ecclesiæ af-
fixis olim fuisse distinctos, antiquitatis periti norunt. Illud au-
tem bene tenendum; inter illos Presbyteros, qui id nominis
habuere, eos, qui in Urbibus & suburbis animarum regimini
operam dedere, CARDINALES præ aliis fuisse vocatos. Con-
cilium Meldense An. 848. sub Sergio II. Lothario Imperatore,
& Carolo Calvo Francorum Rege, *Can. 54.* “ ut titulos CAR-
“ DINALES in urbibus & suburbis constitutos Episcopi Cano-
“ nicè, & honestè, sine retractatione ordinent, & disponant. “
Hoc etiam probant verba ZACHARIAE PP. qui sedit anno
DCCXL. obiit anno DCCLII. in *Epistola ad Domnum Pipinum*,
cum nondum esset Rex, quæ sic sonant: “ Quartum Capitu-
“ lum de Presbyteris agrorum, quam obedientiam debent exhibe-
“ bere Episcopis & Presbyteris CARDINALIBUS. In Conci-
“ Neocalariensi cap. 13. ita continetur: Presbyteri ruris in Ec-
“ clesia civitatis Episcopo præsente, vel Presbyteris urbis ipsius
“ offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare calicem-
“ que porrigerere; si vero absentes hi fuerint, & ad dandam

F

“ ora-

“ orationem (forte oblationem) vocentur , sibi dare debebunt . ”
Clarum est ex his locis Presbyterum Cardinalem esse Presbyterum Urbis : & sic se habet Presbyter ruralis ad urbicum sive Cardinalem , quomodo Choropiscopus olim ad Episcopum . De origine autem horum CARDINALIUM Presbyterorum ita sentiendum . Aedes sacræ in civitatibus duplicitis potissimum fuere generis : alia enim Parochiarum , uti nunc dicuntur , vice erant , quas Titulos vocabant , ad quas conveniebant fideles , divinas Liturgias audituri , & Sacram Eucharistiam percepturi . Aliæ dicebantur Diaconie , erantque publicæ quodammodo pauperum hospitales domus , quibus adjuncta erant Sacella , quæ Diaconie perinde nomen , potissimum labente saeculo , obtinuerent . Priori ædium Sacrarum generi præerant Presbyteri , alteri Diaconi . Si quæ vero alia ædes sacræ essent in civitatibus , Oratoria dicebantur , in quibus nec Baptismus celebrari , nec Sacraenta fidelibus ministrari fas erat ; sed tantum Missæ private à Capellanis , seu à presbyteris , quos Locales nuncupabant , tanquam alicui loco addictos , fiebant . Ut igitur ab illis Oratoriis ceteræ ædes sacræ distinguerentur , Cardinales appellatae sunt , seu tituli Cardinales , id est , principales & præcipuæ , quemadmodum earumdem presbyteri itidem CARDINALES nuncupati sunt . In alma Ubiorum Colonia , ne aliena conseßando , nostra videamur negligere , jure merito CARDINALES presbyteri dicendi sunt septem illi , quos totidem an-

t quæ

tiquæ urbis parochialibus Ecclesiis præesse novimus , Parochi , ac
potissimum inter eos isti quatuor , qui in veteris urbis solo (sunt
verba GELENII de Magnitudine Coloniae Lib. III. Syntagm. XVI.
p. m. 390.) jurisdictionis Provinciam cum Metropolitanâ olim
Ecclesiâ divisisse videntur Pastores antiquissimi 1. *Columba.* 2. *Mar-*
tinii. 3. *Laurentii.* 4. *Albani.* quibus proinde sicut Metropolitanis
Canonicis permisla major Ara Coloniensis , & titulus ut quatuor
summi pœnitentiarii dicantur. Hucusque laudatus GELENIUS,
qua , ut aliquantulum lucis accipient , sciendum est : in Ecclesiis
Cathedralibus olim præcipuum , seu summum Altare , *Cardinale*
fuisse vocatum , quibus igitur vel jure Collegii , vel concessione
summorum Pontificum , vel alio titulo licitum erat , ut solemnem
ad illud missam celebrarent , *Presbyteri Cardinales* , aut *Canonici*
Cardinales dicebantur , quem etiam titulum , una cum jure cele-
brandi cum Mytrâ & Sandaliis ex Leonis IX. Eugenii III. Hadria-
ni IV. Alexandri III. aliorūmque Pontificum diplomaticis nostræ
Metropolitanæ Canonicis Presbyteris competere , in vulgus no-
tum est.

Demum ne quid prætermittere videamur , addere juvabit :
PERSONAM vocem sæpius pro Curionis aut parochi vocabulo
occurrere , nam qui vulgo Rectores vel Plebani , PERSONÆ
passim dicuntur in libris sacri juris nostri , & in Epistola 12. IVO-
NIS Carnotensis illo loco : “ Altaria à me redimere volunt sub

“ nomine PERSONÆ, sicut à prædecessoribus meis ex pravâ con-
“ fuerudine redemerunt. “ Ubi Fr. JURETUS in *not.* videndus.
Quæ denominatio à Gallia seu Francia, uti obſervavit maximi Cu-
jacii non minor discipulus Janus à COSTA in *Summar.* ad tit. de
æt. qualit. & ord. præfic. p.m. 107. trādit originem, can. quæſi-
ſitum 4. qui est defumptus ex *can.* 7. Conc. Claromontani An.
1095. in Gallia habitu, *cauf.* 1. *qu.* 3 & in synodo celebrata sub
Pipino Rege, ubi legimus haec verba : “ de Ecclesiasticis verò, si
“ bona PERSONA fuerit, perdit honorem suum ; minores vero
“ vapulant, aut in carcere recludantur. “ Nam bona Persona est
Presbyter jam Ecclesiam adeptus, qui honore suo & Ecclesiâ in caſu
ibi proposito privandus est. Dicamus igitur breviter paſſim in Ca-
nonicis libris dici PERSONAS, & PERSONATUM habere Cle-
ricalos, quibus munus quoddam præcipuum, quod certè est ani-
marum cura, injunctum est in Ecclesia, ut latinè dici ſolet *justi-*
nere personam, ſuſcipere personam apud M. Tullium, & reliquos
auētores. Concludamus ergo cum A. MATTHEO in *Manuſuct.*
ad *J. Canon. L. 1. tit. de Presbyteris* dicendo : PAROCHUS, PA-
ROECUS, PLEBANUS, PASTOR, PAPAS, PAPATUS,
CARDINALIS, PERSONA, CURIO, CURATUS, quem ta-
men latinè CURATOREM magis dices, monente gravissimo &
latinissimo Theologo Dionys. retavio de Ecclesiastic. Hierarchia II.
XII. 3. aliquo ſenuſu ſunt ſynonima.

§. VI.

Peculiaria, multiplicitaque, quibus parochi tum à veteribus, *Origo co-*
rum à recentioribus decorati fuere elogia accepimus; institu-*tum Insti-*
ti quamobrem nostri nos ratio admonet, ut origines eorum per-*tutio, &*
scrutemur, quibusque succedant, videamus, item quo jure exi-*Successio,*
stant, & quem in Hierarchia divinitus instituta locum oc-
cupent.

Non poterat, ait graphicè THOMASSINUS de V. & N. Ecclesiæ disciplina P. J. L. II. c. XXVI. n. 1. parochorum dignitas altiori attolli fastigio, quam quo eam provexere parisienses Theologi, quum hanc evulgârunt doctrinam: *Septuaginta Disci-*
pulorum esse Successores datos: in ordine minorum Prælatorum eos
flare: & ipso immediatè Christo eos obtinere potestatem functiones
hierarchicas exercendi. GERSON doctissimus ille parisiensis Aca-
demiæ Cancellarius in istam suis prævit sententiam, quum *Tra-*
ctatu de Potestate Ecclesiast. & orig. Jur. & LL. confid. XII. Oper.
edit. Du Pinianæ Tom. II. col. 249. ita scriptum reliquit: “di-
“camus secundò, juxta probabilem valde sententiam, quod de
statu hierarchico Ecclesiæ non sunt propriè nisi duo status. Præ-
“latorum majorum, videlicet qui succedunt Apostolis & sunt
“Episcopi, Archiepiscopi & ita sursum: & minorum, qui Suc-
“cessores sunt septuaginta duorum discipulorum: & dicuntur Præ-

„lati secundi ordinis dignitatis vel honoris , quales sunt curati , qui-
 “bus ex statu & ordinario jure convenientur tres aëtus hierarchicj
 “primariè , essentialiter , & immediate à Christo ; qui sunt purgare
 “per correctionem , illuminare per doctrinam & prædicationem ,
 “perficere per sacramentorum ministracionem .“ GERSONIUS
 sententiæ suæ fundamenta ex ipsis repetit divinis , evangelicisque
 iheris ; Lucae enim X. 1. & 3. legimus : Post bæc autem designavit
 Dominus & alios septuaginta duos : & misit illos binos ante faciem
 suam . . . ite : ecce ego mitto vos , sicut agnos inter Lupos . Eò loci
 Salvator noster , Apostolis in primo jam Hierarchiæ ordine collo-
 catis Luca VI. 13. secundum instituit ordinem , presbyterorum
 nempe , seu parochorum , qui indè suum sumens principium in
 Christi Ecclesia ad nostra usque tempora est continuatus . Distin-
 git etiam alterius hujus presbyterorum ordinis I. Timoth. 5. me-
 minit Apostolus , cuius mentem luculenter nobis exponit EPI-
 PHANIUS , quum Hæres. LXXV. Arian. n. 5. ita scribit :
 “quod non idem esse possit cum Episcopo presbyter , divinus Apo-
 stoli sermo declarat , quo quisnam Episcopus , quisve presbyter
 “sit , intelligitur . Nam ad Timotheum Episcopum scribens ita
 “loquitur : Presbyterum ne objurges , sed hortare velut Patrem .
 “Quid autem attinebat Episcopo vetare , ut ne presbyterum ob-
 “jurgaret , nisi majorem ipso potestatem obtineret : quare dein-
 “ceps admonet : adversus presbyterum citò accusationem ne ad-
 miseris , nisi duobus , tribusve testibus . Non alicui ex presby-
 teris

“ teris præcepit , ut accusationem contra Episcopum non admitte-
“ ret : aut Episcopum non objurgaret . “ Hæc EPIPHANIUS,
cujus lingua , græca scilicet , libentius essemus locuti , n̄ Accur-
sianum illud : græca sunt . . . vereremur . Porrò hic locus mani-
festè ostendit , jam à temporibus indè Apostolicis presbyterorum
ab Episcopis distinctum , secundumque in Dei Ecclesia ; ut Ter-
tulliana phrasí utar , decurrisse ordinem . Evidem , ut & hoc
obiter adspergatur , viris doctis facilè largior , *Episcopi & Pres-*
byteri nomina primis Ecclesiæ seculis , & in ipso quoque Novo
Testamento , promiscuè fæpius adhiberi ; absit tamen , ut inde
concludant ipsorum etiam officiorum unam , eamdemque rationem
fuisse ; sed potius , quod verissimum est , Episcoporum & Pres-
byterorum distinctos à se invicem ordines , quamvis sibi divi-
nitus subordinatos , vicissim mihi largiantur , oportet . Sed
ad rem .

Constans est veterum traditio , presbytetos parochos succede-
re septuaginta duobus Discipulis Domini ; ad quam probandam pau-
cos ex bene multis , testes h̄c in medium adducere licebit : Vene-
rabilis BEZA , qui vixit seculis septimo & octavo , vitâ autem
functus est An. 735. in cap. X. Luce sic commentatur : “ sicut
“ XII. Apostolos formam Episcoporum exhibere simul , & præ-
“ monstrare nemo est , qui dubitet , sic & hos 72. figuram Pres-
“ byterorum , id est , secundi Ordinis Sacerdotum gessisse sciendum

est.

est. BEDÆ subjungimus TEODULPHUM Aurelianensem Episcopum, qui sub Carolo M. floruit, sub Ludovico autem multa dura perpessus, tandem, prout sirmondus congettat, fatis concessit An. 821. hic in *Epistola continente capitula XLVI.* unde alio nomine *Capitulare* dicitur, cap. 1, parochos suæ parochiæ, id est, Diœcesis, sequentibus verbis alloquitur : “ scitote vestrum gratia dum nostro gradu secundum & penè conjunctum esse. Sicut enim “ episcopi Apostolorum in eccllesia, ita nimis Presbyteri ceterorum Discipulorum Domini vicem tenent : & illi tenent gradum “ Summi Pontificis Aaron ; isti vero filiorum ejus. Unde oportet “ vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestrae consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis unitationis. ” Adi sis BARONIUM, qui elegantem hanc THEODULPHI epistolam primus ex MSS. Bibliothecæ Vaticanæ eruit & suis annalibus ad An. 835. intexit. Conf. etiam SIRMONDUS, qui omnia Theodulphi opuscula collegit, & notis illustravit. . sequitur FULBERTUS Carnotensis episcopus An. 1028. mortuus, qui altius ascendens, parochos componit cum septuaginta Senioribus, in quos Deus partem Spiritus, cœlestisque potestatis, quam Mosem repleverat, infudit. Verba Fulberti digna sunt, quæ referantur. “ Moses Dux populi secundis adjutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo sustentabatur, per quos formula Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Eccllesia novitia Pontificale onus in se suscipientes, regendis populis invigilant. Perrò sumens

“ sumens de spiritu Moysi , illis septuaginta senioribus dedit , per
“ quos populum sibi commissum per quadraginta annos judicavit ,
“ quia Dux noster Dominus Jesus Christus discipulis quos ad præ-
“ dicationis officium missurus fuerat in mundum , spiritualium
“ dona charismatum infudit . “ Hucuque Fulbertus in *Epistol. 2.*
ad *Finardum edit. Car. de Villiers Paris. 1608.* . pergit ulterius
(quod omittere piaculum ducimus) in eadem epistola piissimus
Pontifex recensendo singularem cum suæ , tunc vicinarum Eccle-
siarum consuetudinem , quæ ferebat ; ut Episcopus Ordinator
singulis , quos ordinabat , Sacerdotibus , in ipso ordinationis actu
daret hostiam Eucharistici Christi Corporis consecratam , à quolibet
secum domum auferendam , & per particulas usque ad qua-
dragesimam diem proximè sequentem , usu quotidiano consu-
mendum , eo fine , ut hâc participatâ communione Corporis Chri-
sti , significaretur Communio Spiritus Christi , quâ ordinatum ,
Episcopus Ordinator impartierat : audiamus iterum propria san-
ctissimi Viri verba : “ illi (Israelitæ) post immolationem Agni
“ Paschalis manna cœlitûs misso per quadraginta annos sustentati
“ sunt Quem cibum coelestem , quam suavitatem Angelicam non
“ per typicas aut umbratiles figuræ , sed per indubitatam unionis
“ veritatem repræsentat ille *Dominicus cibus* , quem per quadragin-
“ ta dies sumendum tanquam salutis viaticum , Pontifex novis Ec-
“ cleſiae cultoribus distribuit quos suæ Pastoralis curæ Vicarios Adju-
“ tores ad erudiendam plebem sibi commissam constituit . . . &c. Ful-
bertum

bertum excipit noster GRATIANUS, apud quem *dist. 21. in pr.*
 legimus : « simpliciter verò majorum & minorum Sacerdotum
 « discretio in novo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium,
 « qui XII. Apostolos tanquam *majores* Sacerdotes, LXX. discipu-
 « los tanquam *minores* Sacerdotes instituit » & ne quid fortè pro-
 bationi nostræ desit, recitatis testimonii pro coronide adjiciamus
 auctoritatem Divi THOMÆ, qui *III. part. qu. 67. art. 2. ad 2.*
 « ideo, inquit, baptizare pertinet ad *minores* Principes Ecclesiæ,
 « id est ad Presbyteros, qui tenent *locum 72. discipulorum Christi*,
 « ut dicit Glossa Luc. 10. « Jam verò ex iis, quæ dicta sunt,
 consequitur, eamdem Parochos cum Ecclesiâ Christianâ in eaque
 divinitus instituta Hierarchia habere originem, utpote qui in LXX.
 discipulorum locum sunt surrogati. Agnoscunt etiam hodiè, &
 probant hanc Thesin uno consensu Theologi, & Canonum Inter-
 pretes, quorum sententiae & Pontificale, quo hodie utimur
 Romanum non obscurè suffragatur, quando Episcopum Presbyte-
 ros recens ordinatos, his verbis exhortantem inducit : « Fratres
 « dilectissimi, & Sacerdotes Domini ! cooperatores Ordinis nostri
 « estis ; Nos vice XII. Apostolorum fungimur, vos ad formam
 « LXX. discipulorum estis. »

Restat, ut probemus Parochos ab ipso immediatè Deo jurisdi-
 ctionem, potestatemque suam habere. In eam sententiam illustris est
 ille locus *Actor. XX, 28;* quo Paulus in Mileto convocatis Epis-

copis

copis, simul & Senioribus, sive Presbyteris, dixit ad omnes: *At-*
tendite igitur vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus po-
suit Episcopos regere Ecclesiam DEI. Hic licet Apostolus solo *Epis-*
coporum nomine utatur, nihilominus & Presbyteros gregem Christi
pascentes intelligit: eo quod phrasí ejus ætatis, ut supra modo
occupatum est & ulterius à Dion. PETAVIO probatur in primo
Dissertation. Ecclesiastic. libro, Cap. I., & Presbyteri significabantur.
Quare nos, ne simus longiores, ad positionem nostram probandam
adhibeamus in gratiam illorum, qui scholasticā disputandi metho-
do delectantur, enthymema, quod HABERTUS *Theolog. Dog-*
matic. & Moral. Tom. VII, Tract. de Sacrament Ordinis P. II, CVI. p. m.,
345 prodidit: “ Parochi eo modo succedunt septuaginta duobus
discipulis quomodo summus Pontifex Apostolorum Principi, &
“ Episcopi ceteris Apostolis: atque ideo summus Pontifex à Christo
“ immediatè habet jurisdictionem in tota Ecclesia, & Episcopi in
“ suis Dioecesis; quia succedunt ille beato Petro, & illi Aposto-
“ lis, Successor enim ab eo habet jurisdictionem, à quo habuit
“ prædecessor; aliás, inquit, Bellarminus, non verè succedit,
“ sed novo ordine instituitur. Ergo eodem Jure Parochi juris-
“ dictionem à Christo immediatè accipiunt, quo Summus Pon-
“ tifex, & Episcopi suam. “ Confirmat Habertus suam Thesin
auctoritate S. Facultatis Parisiensis, cui tanquam Matri nostram
Colonensem assurgere nullus dubito; ejus autem mandato, jus-
suque Fr. Joannes Sarazin revocavit quasdam Propositiones à se

propugnatas adversùs doctrinam à nobis h̄ic traditam , & sequentes contradictorias eidem facultati scripto dedit An. 1429. I. Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ , aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo , quantum ad institutionem & collationem primariam , à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. II. Hujusmodi potestates sunt de Jure Divino, & immediatè instituta à Christo. III. Ex textu Evangelii & Doctrinâ Apostolorum habetur expressè, Apostolis & Discipulis à Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam. IV. Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis , sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati. J. MAJOR non incelebris aevi sui Theologus, de quo plura LAUNOVIUS in *Academia Parisiensi illustrata P. III, L. 3, p. m. 652,* sententiam suæ facultatis præclarissimè sequutus est in *commentar. in IV. sentent. D. 24, q. 2,* ubi scribit: “ tam Episcopi quam Curati sunt de *Jure Divino*, quemadmodum Romanus Pontifex; nec aliquis prorsus homo potest illud jus, & illas potestates tollere de Ecclesiâ , plus quam sumnum Pontificatum; licet Petrus Paludanus & Joannes de Turcrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresin facultas nostra “ (Sc. Parisensis) sed ne forte Parochorum dignitatem extollendo delicatas plurium aures offendamus, amplissimæque Episcoporum auctoritati obstrepere videamur, non erit incongruum quoddam sententia nostræ temperamentum

mentum adhibere, quod ex cogitavit præstantissimus Vir Petrus AURELIUS, qui Oper. Tom. II, p. 225, apologiam texens censuræ cuiusdam Thologorum Parisiensium circa quæstiones has ipsas, quas suprà attulimus, quum præfatus esset, simillimum esse veri, Parochos divinâ ex institutione proficiisci, *si Parochorum munus divinæ institutionis est, quod certè probabilissimum est;* subjicit, id saltem constare, Parochorum officium divinæ in tantum originis, & institutionis esse, in quantum in Episcopatu includitur, ut in fonte & plenitudine Sacerdotii, ex quâ manant Parochi, ut à fonte rivuli, cuius decursus latissimè & sine detrimento sui effunditur. Non aliter quam Spiritus S. exuberavit plenitudo in septuaginta seniores, quos in subsidium Moysi Deus adoptabat, nihil damni perpetiente Mose, ex quo tanta Spiritus copia in alios dispensabatur. Ut scaturiginis autem & rivulorum eadem natura est, ita eadem Episcoporum auctoritas est & Parochorum, divinâque prorsus, quia ipsam eadem est quæ Christi. *“Parochorum officium si minus institutionis divinæ in se est, at est in Episcopo, quia in Episcopo inclusum à Christo est, ut in fonte ac plenitudine Ecclesiastice & Hierarchicæ potestatis, cuius Parochialis potestas est decidua pars ab Episcopo in Parochum, ut à fonte in rivum transfusa; sine detramento tamen aut immunitatione, eo modo, quo res spirituales transfunduntur & communicantur, ut è septuaginta senioribus Moysis Spiritu imbutis, illibata Moysis plenitudine facile intelligitur, &c.* De potesta-

te jurisdictionis agimus, &c. Ministrorum potestas sic ab Episcopo fluens, divine est, non humanae institutionis, quia eadem rivi est, quæ fontis natura, eadem vis causæ principalis & instrumenti, eadem ministrorum regiorum & regis potestas, quæ comparatio est sancti Thomæ.“ Nihil ut puto, restat amplius, quod ad hunc S. pertineat.

§. VII.

Preroga-
tive.

Illustrem, generosamque prosapiam illustres, singularesque comitari assolent Prerogativæ: id quod cum aliæ, tum vel maximè in Parochiis nostris Divinitus ortis conspicere Datum est. Quare non alienum ab hoc erit loco, repetere splendorem illorum ab ipsis Ecclesiæ nascentis cunabulis, eumq[ue] novo lumine perfusum legentium oculis hic repræsentare.

Omnis retrò vetustas testatur Parochios Presbyteros SENATUM ECCLESIASTICUM, cuius Episcopus præses erat, & caput, constituisse. Hoc Synedrium S. IGNATIUS in Epist. ad Antiochenos salutat, sanctum Presbyterium. Idem in Epist. ad Magnesios ait, Episcopum in eo præsidere Loco Dei, & Presbyteros Loco confessus Apostolorum. eodem Presbyteros Epist. ad Philadelphienses Concilium Episci vocat. HIERONYMUS ad Rusticum: “Ecclesia habet SENATUM coetum Presbyterorum,“ Can. Ecclesia, XVI, qu. 1. Idemque in Itaiam cap. 3: & nos habemus in Ecclesia

Ecclesia SENATUM nostrum cœtum Presbyterorum. Et antè Auctor Constitutionum Apostolicar. (quisquis demum ille fuerit) Lib. II, cap. 28, ubi edixit, ut Presbyteri duplam portionem ferant, mox subdit hanc causam, "tanquam consiliarii Episcopi & Ecclesiæ corona, sunt enim CONCILII & SENATUS Ecclesiæ. Iude est quod Parochi etiam audierint CONSILARII & ADSESSORES Episcopi? Similiter Presbyteros Parochos PRÆSIDENTES appellat TERTULLIANUS in Apologetico n. 39 edit. N. RIGALTI, "Præsident, inquit, (apud nos) probati "quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio "adepti." Idem de Corona n. 3, ait: "Eucharistiæ Sacramen- "tum, & in tempore victus, & omnia mandatum à Domino "etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam PRÆ- "SIDENTIUM sumimus." Tertulliani stylum imitatus CYPRIANUS Clerum Romanum, in quo Parochi primas partes tenebant, cum Cornelio Papa, PRÆSIDENTEM vocat Epist. 55. Quarè umbram antiquitatis referre dicendi sunt undeviginti illi urbis nostræ Pastores, quibus teste GELENIO de Magnitud. Coloniae p. 390 facultas concessa est, "in libellis Archiepiscopo offerendis, "eodem modo, sicut Metropolitani Canonici & Ecclesiarum Præ- "lati consuevère, se le SACELLANOS ejus profiteri: quum in- "terim reliqui de Clero se clientes subditosque subscribendo "profiteantur, utpote non accit in partem sollicitudinis Metro- "poleos." Sunt verba laudati Gelenii.

Non

Non autem, ut ad priora revertamur, Parochi nostri otiosi & nomine tenus, prout hodiè in aliis saepius usu venit, *Confiliarii & Adseffores* existebant; verum Regimini Ecclesiae unâ cum Episcopo gravissime diligentissimeque vacare diurnum illorum, nocturnumque opus erat. Observandum enim est, primis Ecclesiae seculis Episcopum nihil gravioris momenti fecisse sine Consilio (penè dixitatem consensu) Cleri sui, ac maximè Presbyterorum. Quarè à vero non aberrare videntur, qui scribunt *regimen Ecclesiae* tunc temporis Presbyteris cum Episcopo fuisse commune. Nihil fortius ad hoc confirmandum, nihil nervosius Epistolis SS. IGNATII, & CYPRIANI apud veteres est inventire. Nobis in hac thesi demonstranda otium fecisse videtur Claud. FONTEIUS, vel qui sub ascititio nomine latere voluit Jacob. BOILAVIUS libello, cui titulus: *de Antiquo jure Presbyterorum in regimine Ecclesiastico Taur* 1676. Ne tamen planè sicco pede hunc locum transeamus, addere paucis juvabit: quænam olim in ferendis judiciis Ecclesiasticis in judicandis causis, in decidendis quæstionibus fidei & morum partes eorum fuerint, apud antiquos forum erat *Ecclesiasticum*, in quo Episcopus & Presbyteri simul sedebant, Hujus Synedrii meminere saepius antiqui, quorum testimonia partim supra retulimus, partim hic subjiciemus. CYPRIANUS Epist. 5. apud DUPINUM de *Antiq. Ecclesiae Disciplin.* Diff. III, p. m. 250, "verendum esse ait quibusdam ne Presbyterorum & Diaconorum testimonio

&

“ & judicio condemnati eorum societate priventur. “ OPTATUS item Afer fori istius Ecclesiastici meminit Lib. 7. “ accusatore, inquit, silente non licuit Macarium abstinere : scriptum est enim ante agnitam causam neminem esse damnandum. Dicite quis eum accusavit & auditus non est : dicite Macarium confessum esse culpam & nostram siluisse sententiam , sumus enim qualescumque judices in Ecclesia. “ Conc. CARTHAGINENSIS IV. Can. 23. disertè sancitur : “ Episcopus nullius causam audiat absque *præsentia* suorum clericorum , alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum *præsentia* confirmetur. “ Conc. ELIBERITANUM c. 74. “ falsus testis prout crimen est abstinebitur , si autem non probaverit *conventui Clericorum* , placuit per quinquennium abstineri. “ AUGUSTINUS Homil. 56. de *pœnitentia* ejusdem synedrii mentionem injicit , quum scribit “ nos verò quemquam à communione prohibere minimè possumus nisi aut sponte confessum aut in aliquo seculari vel Ecclesiastico judicio nominatum atque constictum. “ De eodem Presbyterorum, id est, ut sèpissimè monuimus, Parochorum cum Episcopo *confessu*, habitòque *judicio* iterata fit mentio ab *Auctore constitutionum Apostolicarum*; eaque consuetudo diu permanit in Ecclesia , ut constat ex *Capitulis*; seu *Excerptis Canonum* EGBERTI Eboracensis Archiepiscopi , qui juxta CAVEUM An. 730. claruit , vitâ vero functus est An. 767. vid. Henr. SPELMANNI *Concil. Britann.* Tom. I. Londin. 1639.

H

&

& deinde *Concil. Tom. VI. p. 1586.* ubi Excerpta Egberti exhibentur. Plures item Conciliorum Canones disciplinam istam comprobantes in suos Decretorum libros rejicit BURCHARDUS Wormaciensis Episcopus, undecimi seculi Scriptor, canonumque non indiligens collector, quem curiosi videre poterunt.

Extat porro memoria plurium sententiarum ab hoc consistorio latarum in reos: sic MARCIAN à Clericis Romanis est repulsus, quum fuissest à Patre Episcopo ob incestum Ecclesiā ejus. NOETIUS ab Ephesinis Presbyteris est damnatus; Refert EPAPHANIUS *Hæref. 69. n. 1.* & *Hæref. 68. n. 4.* Alexandrum Alexandrinum Episcopum, ut ARII hæresin, ipsumque damnaret Arium, Presbyterorum convocasse collegium, ab illiusque primū in Arianos emissum fuisse anathematis fulmen. SIRICIUS Papa, quum JOVINIANUM hæsiarcham veller proscribere, parochos presbyteros coegit, unaque cum ipsis sententiam tulit; testis hujus facti locuples nobis est ipse SIRICIUS, qui in epistola circa An. 389. scripta, quæ apud P. COUSTANTIUM col. 667. septima ejus Pontificis numeratur, ait "facto igitur Presbyterio constitut " doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contrariam (in " tellige Joviniani ac socrorum perversam doctrinam) Unde Apo " stoli fecuti præceptum, quia aliter quam quod accepimus, an " nuntiabant, omnium nostrum tam Presbyterorum (quidem co " dices legunt *Compresbyterorum*) & Diaconorum, quam etiam " totius

“ totius Cleri unam scitote fuisse sententiam , ut Jovinianus , Au-
“ xentius , genialis germinator , Felix , Plotinus , Martianus ,
“ Januarius & Ingeniosus , qui incentores novæ hæresis & blas-
“ phemiac inventi sunt , divinâ sententiâ & nostro Judicio in per-
“ petuum damnati extra Ecclesiam remanerent ita ille . Infinitus au-
tem ego essem , omnia veterum loca hanc aureorum Ecclesiæ
seculorum praxim demonstrantia congerere si vellem . Addi-
disse sufficiet : omnibus eruditis certam hodie exploratamque se-
dere sententiam : quondam nihil quidquam magni momenti Epis-
copum vel in *Synodo diœcesana* , vel extra illam in *Presbyterio* egis-
se aut judicasse ; sicut nec Metropolitanum absque Synodo Provin-
ciæ , in quibus etiam *Provincialium Synodis* sedisse legimus Pres-
byteros Parochos , & cum Episcopis *judicasse* : quam in rem tot
subscriptiones conciliorum à Presbyteris factæ extant , ut om-
nem dubitandi materiam etiam homini planè sceptico valeant
subtrahere .

Porro , si progreedi ulterius lubeat , plures statim Parocho-
rum prærogativæ se se nobis offerunt ; quas tamen , ut dilu-
cidiūs capiamus varii eorum gradus benè sunt obser-
vandi , neque enim omnes ejusdem fuere dignitatis atque auctori-
tatis . Occurrunt igitur inter illos primo loco CHOREPISCO-
PI , id est , si græca latinè reddimus , *ruris Episcopi* , aut Specu-
latores unde *Villani Episcopi* , *Vicani* apud veteres dicuntur ; Hos

H 2

Claud.

Claud. ESPENCAEUS , Lib. 1. *Digression.* cap. 1. p. m. 134. nominatim ait parochos Rurales & Curiones fuisse. Primitus autem institutos ab Episcopis Chorepiscopos ferè constans est sententia , ut essent eorum *Vicarii* in vicis ac pagis , & episcopalia in iis munera obirent. Antiquiores sunt in Ecclesia Græca , quam in Latina : in illa jam pridem occurrunt sub finem III. seculi nempe in *Can. 13.* ANCYRANÆ Synodi : & in *Can. 13.* NEO-CÆSARIENS. ; & statim coeperunt esse frequentiores , nam plures ex iis NICÆNO Consilio I. subscripterunt. Sed in Latina occurrunt tantum sub finem V. seculi , nempe in Synodo REIENSI *Can. 3. 4.* Hos licet gradu ceteris presbyteris præstissime doceant Synodus NICÆNA *Can. 8.* & CHALCEDONENS. *Can. 11.* tamen quum essent & dicerentur Episcoporum Vicarii , & ab iis solis , quibus subjecti erant , fierent , ut est in Concilio ANTIOCH. C. 10. Episcopatus apicem illos non obtinuisse par est credere. Nam ex *Can. 3.* NICÆNÆ Synodi , episcopi ab omnibus , vel faltem tribus Episcopis ordinari debent : deinde ad quandam civitatis Episcopalem sedem titulari , ut est in CAPITULAR. Caroli Mag. Lib. 7. Cap. 187. quod de Chorepiscopis dici non potest.

Munia illorum valde ampla initio fuerunt , quumque sibi forte plus , quam conveniret , sumarent , certis limitibus eorum potestas circumscripta fuit , ne paris juris ac gradus cum Episcopis,

pis, quibus subiecti erant, viderentur; non tamen ita accisa fuit illorum auctoritas, ut ne semper Augusta manferit. Quare horum Choropiscorum erat Clericis ruralibus praesesse, in ipsorum vitae rationem inquirere, de eaque ad episcopum civitatis referre; nec non inferioribus officiis ecclesiae idoneos homines prospicere. Ad conciliandum etiam majorem illis splendorem certis quibusdam privilegiis gaudebant. I. In usum Ecclesiae *Lectores, Hypodiaconos & Exorcistas ordinare* poterant, Concilium ANTIOCHENUM generale iis dat negotium ordinandi omnes Hypodiaconos, Lectores & exorcistas, ita quidem, ut consulere urbis episcopum in cuiusque promotione non necesse habeant, quod tamen BASILIUS Epist. CLXXXI. à Choropiscopis suis requirebat. En verba *Can. 10.* laudati Concilii ex versione Dionysii: "ordinant etiam *Lectores, & Subdiaconos atque exorcistas*: qui- "bus promotiones istae sufficient. Nec presbyterum vero, nec "Diaconum audeant ordinare, prater civitatis episcopum, cui "ipse cum possessione subiectus est." II. Potestatem habebant eis, qui in ecclesiis vicorum recens baptizati erant, impertiendi confirmationem. Hoc difteret in Concilio REIENSI in Gallia *An. CCCCCXXXIX. celebrato Can. 3.* permittitur in casu Armentarii, utpote cui ad Choropiscopi conditionem reducto privilegium *confirmandi Neophytes* indulgebant; undē colligi potest, confirmationem per manus Choropiscorum in ecclesiis pagorum & vicorum potuisse administrari. Neque hoc insolens erat, aut sanctio-

nibus ecclesiasticis contrarium , nam licet certum sit , & liquidò semper constiterit episcopum esse solum confirmationis ordinarium ministrum , tamen extra ordinem , & jure seu privilegio speciali presbyteris potestatem confirmandi posse competere præter praxim Græcorum , qui ab omni ævo baptizatos per simplices Sacerdotes non obstante cap . 4. X. de consuet . confirmâsse videntur , probant tum canones antiquorum Conciliorum , nominatim ARAUSICANI . I. Can . 1. EPAONENSIS Cap . 16. tum hilarioris famæ Theologorum MAJORIS , ESTII , MORINI scita , ac sententia . Conf . MARTENE de antiqu . Eccles . ritibus p . m . 242 . III. Dimissorias etiam , sive , ut alias vocabantur , Canonicas & pacificas Epistolas , Clericis ruralibus , è dioecesi aliâ in aliam transferri cupientibus , dandi habebant facultatem . Sic Canonem VIII. Concilii ANTIOCHENI intelligo , qui apud G. VOELLUM , & Chr. JUSTELLUM in Codice Canonum Ecclesiae universæ est numero septimus & octogesimus , & latinè (nam græca ob ignorantiam typographorum mittere cogimus) dicit “ Nec presbyteri qui sunt “ in regionibus , dent Canonicas Epistolas , vel ad solos vicinos “ episcopos epistolas mittant . Chorépiscopi autem qui sunt irreprehensibiles , dent pacificas “ junge notas doctissimi Justelli ad h . Canonem Bibliothecæ J. Canonici veteris Tom . I. p . m . 81 . IV. Libertatem habebant operandi Sacris in ecclesia oppidana , præfentibus Episcopo & Presbyteris urbis , quam presbyteri rurales , ut alio loco observavimus non habebant . Ista enim Concilium NEO-

NEOCÆSAREENSE hanc rem *duobus Canonibus* sancivit XIII.
videlicet, & XIV. quos in unum conflatos ex cit. Codice Cano-
num hoc transcribimus : “ Regionarii presbyteri, in Dominico
“ civitatis offerre non possunt, præsente Episcopo, vel presbyte-
“ ris urbis, neque panem dare in oratione, neque calicem. Si
“ autem absint, & ad orationem solus vocatus fuerit, dare po-
“ terit. Choropiscopi autem, sunt quidem ad exemplum septua-
“ ginta, ut autem *communis* , propter studium in pauperes
“ offerunt honorati. “ V. privilegium habebant sedendi præ reli-
quias Presbyteris, ac suffragia ferendi in Conciliis ac synodis: cuius
rei adhuc nonnulla exempla in veterum Conciliorum Actis super-
funt. Perlustrantur subscriptiones Conciliorum NICÆNI,
NEOCÆSAREENSIS, EPHESINI, aliorum. Hic autem
advertisendum potestatem & privilegia Choropiscoporum pro ra-
tione temporum & locorum fuisse diversa, qua super re viden-
dus BINGHAMUS *Origin, Eccles.* Tom. I, p. m. 197. Demum
Choropiscoporum nostrorum ordo penitus fuit abrogatus à LEO-
NE PP. in *Capitular. Caroli M. Lib.* 6. c. 119. BALSAMON ad
can. 13. *Ancyran.* scribit etiam suâ aetate apud Orientales Chor-
episcoporum gradum omnino exolevisse. WAZO Episcopus
Leodiensis in *Epist. ad Joannem Praepositum*, apud ANSEL-
MUM in eodem Wazone c. 85. videtur innuere id nominis suo
tempore incognitum in Ecclesia Coloniensi : “ Coepiscopos (MA-
“ TENE in *Gestis Episcopor. Leodiens.* Collectionis amplissime

Tome.

" Tom. IV. legit *Chorepiscopos*) & *Archidiaconos* ob insolentiam
 " (nequid veri etiam taceamus) removit Ecclesia ; unde & his
 " caret usque in praesens Metropolis Colonia , & tota Provincia . " "
 Wazonis epistolam in MSS. Historia Colonensi eruditissimus Al-
 bertus SEYLIUS , dum vivebat Canonicus Cunibertinus ad An.
 1015. retulit. Vera igitur est sententia MORINI , quum de sa-
 cris Ordination. P. III. Exerc. IV. c. 6. n. 1. p. m. 72. scribit :
 " Existimari paulo post nonum seculum aut etiam intra nonum
 seculum , tam in Oriente quam in Occidente hunc ordinem pe-
 nitius esse abrogatum. Quamobrem qui hodie Coloniæ in om-
 nibus ferè collegiatis supersunt Chorepiscopi , etiam in Cathedra-
 li , ubi Chorepiscopatus inter dignitates recensetur , & Chorepisc-
 copus officium faciens in solennitatibus , baculo utitur episcopali ,
 nihil commune habent cum veteribus istis Parochis Chorepiscopis ,
 quum Primi tantum Cantorum sint , quibus etiam in Concilio Co-
 loniens. An. 1260. cap. 9. & 10. junguntur.

Secundo & tertio ordine veniunt *Archipresbyteri* , *Plebani* ,
Decani rurales. Qui primus ac Princeps est Presbyterorum dici-
 tur *Archipresbyter* eadem formulâ , quâ princeps Episcoporum
Archiepiscopus , & Diaconorum *Archidiaconus* nominatur. Licet
 enim ubi plebs numerosa non erat , olim unus Presbyter tantum
 præponeretur , qui vulgo Parochus dicebatur , tamen ubi plebs
 numerosa erat , huic plures Presbyteri præponebantur , & qui
 illis

illis praerat Archipresbyter dicebatur. Conc. Epaonense can. 80. Agatense can. 54. ; & quia plerumque decem Presbyteris præponebatur, Decanus vocatur, Can. in capite deſt. 50. cap. 7. X. de offic. Archid. JUSTINIANUS eum appellat *primum Presbyterum in L. repetitæ 41. C. de Episc. & Cler. principalem Presbyterum in Nov. 123.* in ecclesia orientali notante MORINO de S. Ordination. Exercit. 16. cap. 2. n. 6. p. m. 276. Protopapæ , Protopresbyteri appellabantur. Antiquum esse Archipresbyterorum utum & institutionem præter illa quæ adduximus testimonia , probat Epistola D. HIERONYMI ad Rusticum , cuius locum excitavit ESPE- NIUS J. E. U. Part. I. tit. VI. c. 1.

Sunt autem duo genera Archipresbyterorum , quod & vulgo interpres admittunt , sed explicant malè. Est separanda civitas , vel urbs in qua est sedes episcopalís , ab ipsa Diœcesi quæ subest civitati ; & populus Urbanus distinguidus à plebe agrorum & vicorum , Cap. Rodulphus 35. X. de rescript. cap. cum Clerici 19. de Verb. signif. constituitur igitur Archipresbyter , vel in urbe , vel in vicis. De Archipresbytero urbis tractatur in cap. 1. 2. & 3. X. de offic. Archipresb. quartum vulgo notant pertinere ad Archipres- byterum ruralem.

Archipresbyter de urbe , ut loquitur Cap. 3. debet super Pres- byteros in ordine positos curam agere , affiduè in Ecclesia stare , & generaliter absente Episcopo ea omnia gerere , quæ ad Sacerdotalem

ordinem pertinent ; his tamen exceptis quæ solus Episcopus exequi potest , de quibusc in Can. quamvis diff. 68. quem tamen Canonem , ut hoc extra ordinem moneamus , valde dolemus fragmentum esse spuriæ Epistolæ , prout nobis probavit damnatus alijs auctor editionis novæ Operum S. Leonis diff. XI. Tom. II. p. m. 329.. Igitur ultrà ea munera , quæ in cit. decretalium Capitulis Archipresbytero urbeo adsignantur , ex Novell. 123. dicimus ei aliquando fuisse mandatam administrationem rerum Ecclesiasticarum. Et regulariter Episcopus partem sollicitudinis vel Archidiacono vel Archipresbytero committebat. Can. 25. Conc. Bracaren sis; & can. 17. Conc. Carthaginensis apud GRATIANUM diff. 88. Episcopus gubernationem viduarum , & pupillorum , ac peregrinorum non per se ipsum , sed per Archipresbyterum vel Archidiaconum agere debet. Colligitur itaque ex his quæ adduximus Archipresbyteros urbicos magnâ excelluisse auctoritate , meritoque in Concilio Aquisgranensi II. c. 4. vocari Episcoporum ministros ; & in Capitulari III. Ludovici Imperator. c. 5. Adjutores ministerii Episcopalis.

Ad Urbicos Archipresbyteros reducendi sunt , qui in Episcopis Canonicorum curam gerunt ; & , ut est in Cap. 2. de off. Archipresb. debent providere Ministerium Sacerdotum Cardinalium , quos recte Glossa ait esse principales Parochiarum Sacerdotes , qui in urbe Roma , ad quam propriè pertinet dictum cap.

cap. titulos Cardinales, & municipales regunt. Hi omnes certis diebus, ordine certo ministrare debent Episcopo in principali Ecclesia, ut ex veteri *Ordine Romano*, quem primus produxit Georg. CASSANDER Colon. 1559. 8.; observatum est. Speciem, imaginemque talium Archipresbyterorum referre amplissimos collegiarum nostrarum *Decanos* non inanis conjectura est, quum & hoc vocabulo ab ADOLPHO III. in *forma visitandi Clerum*, & nominatim in *præparatoriis ad Visitationem Statutor. Coloniens.* p. m. 474. insigniantur.

Archipresbyter vero Ruralis certæ plebis sollicitudinem gerit, & vulgo *Plebanus* dicitur cap. 3. de off. jud ordin. à plebe, seu *plebibus* id est, baptismalibus Ecclesiis can. 45, c. XVI. qu. 1. pro quo Canone intelligendo sciendum est: olim non in omnibus Ecclesiis Parochialibus fuisse fontem baptismalem, sed in quibusdam tantum ad hunc selectis usum. Illa vero ecclesia, quæ immersioni erat destinata, *plebis* nomine veniebat, cui præficiebatur Archipresbyter, qui etiam *Decanus Christianitatis* vocatur; quod in ejus Ecclesia *Christianiani* fierent. Illustrat hoc ipsum CONCILIUM TICINENSE An. DCCCL. c. 13. apud HARDUINUM Tom. V. concil. p. 28. "propter assiduam erga populum curam, singulis *plebibus* (h. e. Ecclesiis baptismalibus) Archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum Presbyterorum, qui

“ per minores titulos habitant , vitam jugi circumspetione custo-
“ diant . ” Distinguuntur hoc Canone evidenter *plebes* , h. e. ec-
clesiae baptismales , quibus Archipresbyteri præfunt , à *titulis mi-*
noribus , seu Parochiis reliquis , sub inspektione Archipresbyter-
rii constitutis . De hoc ergo Presbytero accipendum est
cap. ult. de offic. Archipresb. , quod neque est Leonis Papæ ,
eius nomen male vulgo præfert , neque est desumptum , uti
primæ notæ interpres hucusque opinati fuere , ex Synodo Ra-
vennæ celebrata sub Joanne IX. An. DCCCXCVIII. præsente
Lamberto Imperatore , aut , si mavis GERMANE Lector , ob
ARNULPHUM nostrum , prætenso Imperatore , quum in eo
verba textus hujus Capituli non extent , sed est ex XII. *Capitulis*
mox post Concilium Ravennatense ab Imperatore Lamberto pu-
blicatis ; uti jam dadum Steph. BALUZIUS candidi ac liberalis
ingenii vir in *prefat. ad Tom. I. Capitular. §. 18.* detexit . Hi
sunt igitur qui Plebani dicuntur , quos Valafridus STRABO in
collatione dignitatum Ecclesiasticarum cum Sæcularibus cap. ult. con-
ferre videtur cum Centenariis , vel Vicariis , qui à Comite per
pagos constituti sunt . “ Centenarii , inquit , vel Vicarii , qui
“ per pagos constituti sunt , Presbyteris plebium , qui baptismales
“ Ecclesiæ renent , & minoribus Presbyteris præfunt , conferri
“ queunt : Decuriones , vel Decani , si sub ipsis Vicariis quæ-
“ dam minora exerceant , minoribus Presbyteris titulorum com-
“ parari possunt . ” Hoc enim est quod ait *cap. ult. cit.* eos cu-

ram

ram gerere Presbyterorum qui per minores titulos habitant ;
de quibus accipendum esse censeo cap. pen. X. de Jur. Pa-
tronat.

Custodite autem ad nostram visionem observanda sunt
duo capitula valde famosa , quæ sunt secundum & tertium tit.
de Offic. judic. ordinar. quorum utrumque pro auctore habuit
Alexandrum III. qui ut scribit ROBERTUS de Monte fuit in
divina pagina præceptor maximus , & in Decretis & Cano-
nibus & Romanis legibus præcipuus. Quorum capitulorum &
præsertim tertii ut veram sententiam assequamur , sciendum
est : jure quod obtinuit aetate Alexandri III. Archipresbyte-
ros Plebanos habuisse potestatem excommunicandi & plenum exer-
citium censuræ Ecclesiastice , & admisisse querelas , sive accusa-
tiones de quilibet criminis , vel peccato , adversus Parochianos suos
tam Clericos quam laicos : eosdemque recte hoc in puncto dici
posse Judices ordinarios. Ad ejusmodi ergo censuram pertinet
capitulum hoc nostrum tertium , in quo Plebanus S. Pan-
cratii tam in Clericos quam in Laicos sententias interdi-
cti & excommunicationis pronuntiare dicitur ; quas Episco-
pus inconsulto Plebano non potest relaxare , ne lusoria sint ista
decreta Ecclesiastica , ut loquitur L. si Prætor 75. ff. de judic: Hoc
autem sumptum esse ex ipsa lege Christi Sospitatoris nostri , de
qua MATTHÆI Cap. 18. & LUCÆ 17. plusquam manifestum

est: ubi post primam, & alteram admonitionem, eam nempe
quæ inter te ad eum qui admisit, fit, & secundam, quæ adhi-
bitis testibus, permittitur tibi denuntiare Ecclesiæ: quam cum
Plebanus regere dicatur, *Can. Presbyteri 4, dist. 95.* imò Ecclesiæ
& plebi præesse tanquam Prælatus, *Cap. tua nos X. de Cleric.*
ægrotant, aut ut est in *Clement, 2. de sepult.* tanquam *Rector Do-*
minus, potuit de hac denuntiatione cognoscere, pronuntiare, &
ut *SENECA* quodam loco loquitur, tandem accedere ad *decre-*
torium stylum, quo quis à communione Ecclesiæ removetur.
Frequens autem fuit hæc denuntiatio apud *Plebanum*, quamdiu
Christianis gravissima poena fuit *excommunicatio*; quâ nulla major,
aut gravior dici potest fidelibus, quibus olim in vetusta Ecclesia
Sacrosancta Eucharistia (à cuius perceptione per istam excommu-
nicationem excludebantur) dicta fuit *Desiderata*: de quâ voce
hac in re propriâ vide, quæ adnotavit *GOTHOFREDUS* ad
L. 1. Cod. Theodos. de Scænicis. At tepescente hoc *desiderio*, non
sine magnâ seculi infamiâ, minor vîla fuit Ecclesiastica censura,
qnam *Plebanus* exercere potuit; & adire coeperunt Episcopum,
vel Archidiaconum, ceterosque majores Judices, qui *pecunia-*
riam multam irrogare possunt. quam in rem elegantissima est
epistola Petri *BLESSENSIS 74. edit. nov. p. m. III.* in qua ad
Archidiaconum Batonensem scribit, de hospite quodam suo adul-
tero, infami & sœpè excommunicato. “ Certissimam, inquit,
“ emendationem ejus vobis promitto in ablatione pecunie. Sen-

“ sibi.

“ sibilis est illa sententia , non verbalis ; “ nam juxta ethnicum ;
Juvenalem nempe ,

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris ,

*Non cohident sacra verba malum , majore tumultu
Planguntur numini , quam funera.*

Hanc tamen mulætæ diætionem Archidiaconis deinde dene-
gavit Alexander III. ob Archidiaconorum nimiam (sit verbo ve-
nia) rapacitatem , ut colligere licet *ex cap. 3. X. de pœnis.* Hâc
igitur occasione minus frequentatam fuisse Plebanorum , tanquam
minorum Judicium , censuram non dubito , quæ tandem in de-
suetudinem abiit .

Ab his tamen Plebanis Archipresbyteris , diligenter separan-
di alii Archipresbyteri , sive *Decani rurales* , qui ad agendas in
quibusdam minoris momenti functionibus , vices Episcoporum ,
seu Archidiaconorum , & terminandas minoris momenti causas
Ecclesiasticas ad tempus constituuntur : vel *nominazione Episcopi*
uti sit in districtu Vestano , vel *Archidiaconi* , ut docet elegans
Epistol ARNULPHI Lexoviensis Episcopi ad Alexandrum Papam
III. “ Ceterum , inquit , si eo invito in Archidiaconatu ejus
“ Archipresbyter fuerit institutus , plurimum utilitati ejus & ho-
“ nori constabit esse subtractum , cum ei in Archidiaconatu suo

alius

¶ alius quodammodo Archidiaconus adgnascatur. ¶ vel denique electione ceterorum Parochorum istius districtus, regiunculae, Christianitatis, & Decaniae, cui præficitur, uti consuevit fieri in ducatibus Juliæ & Montium Diœcesis Colonensis.

Ceterum hi *Diconi Rurales* in eo multum differunt ab illis prioris generis Archipresbyteris, de quibus supra; *primum*, quod priores isti Plebani Archipresbyteri Jus censurae terenda, intelligo, spiritualem jurisdictionem suam habuerint *Jure ordinario*, seu jure & titulo, quo Ecclesiæ & populum sibi commissum regebant, posteriorum seu Decanorum Ruralium nostrorum, jurisdictione, qualiscunque demum illa sit, & cognitio, sive notio causarum Ecclesiasticarum, de qua in cap. ad hæc, §. ult. de off. Archidiac. cap. 1. & 2. ne Prælati vices suas &c. sit merè Vicaria, delegata, ab arbitrio, mutuquè Episcopi dependens; *secundò*, quod prior illa Archipresbyteralis, ita loqui si liceat, jurisdictione amplior fuerit, & Ecclesiastica censura ei annexa in omnes subditos Parochianos Clericos & Laicos potuerit exerceri: eidēmque etiam judicario aliquali ordine observato, id est, denuntiatione, vel accusatione præcedente, auditis & examinatis testibus, excommunicari, vel eis secundum Canonum præscripta poenitentia imponi, de quoquaque crimine vel peccato; ut ex Epistola THEODULPHI Episcopi Aurelianensi. ad Parochos sive Plebanos quam in superioribus §§. excitavimus, abundè colligere licet;

contra

contra vero Decanalis Jurisdictio multum est restrictior, ad omnia
 crimina se non extendit, omnes causas haud complectitur; sta-
 tuit enim, quantum ad nostram quidem Dioecesim pertinet,
HENRICUS Archiepiscopus in *Synodo Coloniae An. 1306. habita*
cap. 7. “ ne Decani Christianitatum de causis ad Archiepiscopum,
 “ & Consistorium ejus de jure vel consuetudine spectantibus, ma-
 “ xime Matrimonialibus & aliis quibuscumque causa cognitionem
 “ exigentibus, praeterquam in *Synodalibus*, quounque modo,
 “ causa vel colore quaestio, se intromittant, disponant, vel cog-
 “ noscant, vel audiant: sed ad se (Archiepiscopum nempe) &
 “ Officialem ejus sine difficultate remittant examen, sine Canoni-
 “ co decidendas: “ recantantur eadem in **ADOLPHI III. Statu-**
tis in Synodo Diocesana An. 1550. publicatis p. m. 510. alibique.
 Porro quanquam haec ita se teneant in *Decaniis Electoratus Coloniensis*, ubi Decani, prout modo docuimus, magis correctionem
 habent & jus quoddam paternum in delinquentes, in Syno-
 dis exercendum, quam stricte dictam contentiosam jurisdictio-
 nem, tamen aliud dicendum de *Decanis Ruralibus Ducatum Ju-*
liae & Montium, hos enim jure primae instantiae, etiam quod
 valde singulare est, in *Matrimonialibus causis*, gaudere, quoti-
 diana experientia testatur. Conf. Provisional. Vergleichung zwi-
 schen dem Hochwürdigsten Erzbischöffen zu Tüllen, und Durch-
 künftigsten Thurfürsten und Pfalzgrafen beym Rhein ic. wie
 es mit der geistlichen Jurisdiction &c. zu halten. §. XXVIII.

K

Cete.

Ceterum quæ ad Decanorum Ruralium jus visitandi, capitula habendi, aliásque prærogativas attinent, h̄ic ultius excutere non vateat, habentur illa expressa tam in Statutis ADOLPHI, quam in Decretis Synodalibus MAXIMILIANI HENRICI, ubi videri possunt.

Tandem ne quid prætermittamus, quod ad Presbyterorum Parochorum gloriam facere videatur, addendum pro coronide est quod nempe plures eorum aliquando *Munus Apostolicum* gesserint, fuerintque *novarum* apud Aquilonares, aliásque barbaras gentes *Ecclesiarum fundatores*, & *Christiani propagatores nominis*, quamdiu necdum Episcopalis cathedra apud eos populos utpote titubantes, adhuc erigebatur. WILLEHADUS, pōst Bremensis Episcopus, idem ipse prius in eadem gente adhuc barbara Parochorum, imò Episcoporum functiones perdiu obierat. Audi vitæ ejus Scriptorem *sæcul. Benedict. Tom. III. Part. 2. p. 409.* “ Primus in ea Diocesi sedem obtinuit Pontificalem; quod tamen jamdiu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cum Presbyteros aliquoties secum manere, vix compulsa sineret, Episcopali autoritate minimè regi patiebatur. Hâc itaque de causâ septem annis priùs in eadem Presbyter est demoratus Parochiâ; vocatus tamen Episcopus, & secundūm quod poterat, cuncta præsidentis potestate ordinans.” ADAMUS Bremensis in *Historia Ecclesiastica*

Ecclesiastica Lib. I. cap. 16. illud de ANSGARIO Corbeiensi testatum facit, missionibus & prædicationibus Apostolicis eum vehementer apud Sclavos, Danosque, & diu claruisse, quum Presbyter esset adhuc, nondum ad Hammaburgensis Ecclesie insulas proiectus. Eadem de RIMBERTO Ansgarii commilitone litteris prodidit idem ADAMUS Brem., eadem iterum de ADALGARIO successore Rimberti, ut taceamus WILLIBORDOS, KILIANOS, aliisque Germaniae Apostolos, eosdemque Presbyteros Parochos, de quibus jucundè, utiliterque consuli poterit CALLES in *Annalibus Ecclesiasticis Germanie*. Quarè, ut tandem concludamus, nec novum cuipiam, nec mirum accidere debet, si dicamus: *Parochos in tantâ dignitate constitutos, tam arctissimo cum Episcopis & Ecclesiâ nexu copulatos, nec olim potuisse invitatos de Ecclesia in Ecclesiam transferri, multò minus pro arbitratu & nutu Episcopi de gradu suo, & Parochia dimoveri; nec hodie posse nisi forte adhuc causa gravissima Canonica, & Canonicum adhibentur judicium, prout per sœcula eundo Canonum, & auctoritatum mole ad amissim demonstravit THOMASSINUS de V. & N. Ecclesiæ Disciplin. P. II. Lib. I. Cap. 15. & seq.*

§. VIII.

Methodi, ordinisque ratio semel proposita ulterius postulat, *Officium.* ut de Parochorum *Officio*, muniisque sacris loquamur,

K 2

sed

sed paucis; verbosos enim commentarios texere nec animi nostri est, hujus loci; angustæ quippe, dissertationis Academicæ pagellæ multa haud admittunt; & nos fortè aliâ occasione ex professo, & datâ ut ajunt, operâ materiam hanc nobilem resumemus.

Exordiamur autem ab *Affiduitate*, quam veteres loci *Stabilitatem*, juniores *Residentiam personalem* vocant. *Residere* apud *Canonum interpretes & commentatores* est: "affiduè, & continuò in quodam loco, apud quamdam Ecclesiam commorari officii, vel ministerii sacri præstandi causâ, Cap. relatum 4. de Cler. uon residentib. &c. L. 42. §. 10. C. de Episc. & Cler. Ibique PITHOEUS in Observationib. n. 4. Non residere est "Ecclesiā siam ejusve ministerium deserere, ab ea per licentiosam libertatem abesse ut ait S. AUGUSTINUS in Epist. 138. " Necessitas Residentiæ ex indole muneris sacri fluit, imò ex indole naturāque *Officiorum publicorum*, generatim. Hinc apud Gentiles etiam sacrificulis nefas fuit è templo se movere propter loci religionem, de quibus intelligenda est L. 2. ff. de in jus voc. illis verbis, qui propter loci religionem inde se movere non possunt. De iisdem SENECA de Tranquilit. anim. cap. 10. quosdam exilia uno loco tenent, quosdam Sacerdotia. Milites armatae Militiæ non debent diutius abesse aut à signis suis vagari, alioquin ut desertores & emansores puniuntur L. 3. pr. & §. 2. & 3. L. 4. ff. de re militari.

litari. II quoque qui in Palatio Principis militiam obtinent absque
commeatu diutius abesse non possunt, L. 3. C. de domoſt. & pro-
teſt. Et eò ſpectat quod de Præſide provinciæ ſcriptum eſt in
Lege 15. ff. de off. Præf. ne fīnes Provinciæ excedat, niſi voti
ſolvendi cauſa: dum tamen obnoctare ei non liceat. Hæc ſi in ad-
ministrandis officiis profanis obſervanda, quanto magis ministri,
qui in Eccleſia Dei militant, aſſidui eſſe debent, neque à statio-
ne ſibi concretā diſcedere, quum iſpis non cura rerum terre-
ſtrium, ſed *Spiritualium*, *Cœleſtium*, imo iſtarum animarum,
ſanguine Christi redemptarum commiſſa eſt. Porro ex antiquis
canonibus, quos colligit A. AUGUSTINUS in *Epitom. J. Pontif.*
Lib. 4. tit. 78. & 79. Lib. 7. t. 11. L. 8. t. 31. L. 39. t. 51. omnes
omnino Clerici residere tenebantur in Eccleſiis, ad quas ordinati
erant, juxta notum illud Apostoli: *Unuſquisque in ea vocatione*
remaneat, in qua vocatus eſt. Jurabant in iſpa S Ordinatione
ſtabilitatem loci, jurabant ſe in iis, quibus adſcribebantur Eccle-
ſias locales futuros, *Can. ult. Valentini Conc.*. Sacramenti iſtius
formula extat in *Capitularibus Caroli M.* ejus pariter mentio fit in
Cap. 3. de Cler. non resid. apud GREGORIUM, quod plenius
refertur in *Cap. I. eod. tit. in V. compilatione Decretaſium*, quam
nos Manuscriptam tanquam theſaurum poſſidemus, ubi, de quo
loquimur, Juramentum præſtitum de facienda reſidentia que ti-
gia nuncupatur. CIRONIUS (qui dictam quintam Capitulatio-
nem ex MSS. edidit, cui nos ex praſtantissimo noſtro Codice
mem.

membranaceo multas variantes lectiones adjicere possemus) in notis ad idem Capitulum dicit, residentiam *ligiam* appellari, quod maximè liget & adstringat , sicut in libris feudorum , homo *ligius* Vasallus appellatur , & fides praestita *hominium ligium* , quod Vasallum obsequio Patrono suo exhibendo firmiter alliget & adstringat . sed ad rem . Medio ævo , quum beneficia à S. Ordinibus distingui , separatim conferri & beneficiati illis in feudorum morem investiri cœpere , inolevit ea quoque sensim beneficiorum divisio , ut alia residentiam desiderarent , alia verò non . Eam non esse à constitutione seu Canone , nec à fundatione sed ex longa consuetudine , & ex malitia Clericorum usurpatam esse ait GUIL . PARIS : in Lib . de Collat . & Plural . Benef . cap . 14 . Quidquid sit , certum inconcussumque manet : Residentiam desiderare curata beneficia , quibus nempe annexa est animarum cura , quales sunt Episcopales & Parociales Ecclesiæ . Ac fortè verior est Gallorum , Hilpanorūmque Praesulum , & Germaniæ Theologorum in Tridentin . Concilio sententia : in Pastoribus eam esse Juris Divini . vid . cit . conc . sess . VI . cap . 1 . sess . XXIII . cap . 1 . aliisque loca ; Conf . quoque FAGNANUM ad cap . ex parte , de Cleric . non resident . n . 21 . seqq . ESPENIUM Part . I . tit . 16 . cap . 5 . GONZALEZIUM comment . in cap . 4 . X . cit . tit . aliisque complures , quorum sententia communis evaſit .

Ad hæc quæ divinitus Parochis præscripta est , residendi
neces-

necessitas, non propter se, sed propter aliud desideratur, nempe ut Parochi cetera quæ ad sacram eorum Officium pertinere noscuntur, certius, commodiisque valeant peragere. Officium autem hoc sacram parocciale in variis functionibus consistit, quas claritatis causa in Functiones Parocciales interiores, & exteriore distinguemus.

Functiones ergo interiores ad omnes ferè Christianæ Religionis partes se extendunt, quarum pleræque dependent à Parocco. Ejus igitur est per prædicationem & baptismum facere Christianos; factos precandi modo imbuere, ac verbo Dei & Sacramentis pascere, morti proximos & animam agentes ad ultimum certamen lucidamque præparare; demum vitâ functos Ecclesiasticâ sepulturâ honorare, & hâc ratione, quos per baptismum peperit in Christo, eos etiam venturo Christo servare.

Prima igitur functio Parochi est *Prædicatio verbi divini, & mysteriorum, dogmatumque veræ Religionis*, quæ & olim ipsam gentilium conversionem antecessit; quomodo enim credidissent in eum, de quo nihil audivissent, Rom. X, 14. & hodie errantium à præcepto salutis & rectâ fide reductionem in gremium matris præcedit. *Prædicationis* autem vocabulo ulterius intelliguntur omnis generis institutiones credendorum & agendorum,

maximæ autem illæ, quæ sunt per quæstiones & responsiones cùm eorum qui adulti baptizantur, tùm infantum, qui jam baptizati sunt.

In primitiva Ecclesia Episcopus singulis diebus Dominicis vel etiam sèpius, quoties scilicet sacrum siebat, verba fecit ad populum, nulla enim Missa celebrata fuit sine *Prædicatione*, & sine prælectione Evangelii; idoneo id testimonio illustrat firmatque JUSTINUS Martyr in *Apol. II, circa fin.*, qui de generali Ecclesiarum more loquitur. Inde adhuc durat ista precandi formula, quam recitationi Evangelii ex Missalis præscripto Presbyteri præmittunt: *Munda cor meum, & labia mea* &c. Porro illa verbi divini prædicatio olim in præcipuis Episcopi functionibus ponebatur, & plerumque ab iis ipsis, speciatim in Ecclesiis *Africanis*, peragebatur. Quæ causa est, quamobrem phrasis ista: *tractante Episcopo* in scriptis CYPRIANI toties reperiatur. Suo enim tempore concionari adeo moris & officii Episcoporum erat, ut ipsis præsentibus Presbytero concionari non licceret, ad ipsius AUGUSTINI usque atatem, qui, dum adhuc fuit Presbyter, à *Valerio*, Episcopo suo, & ipso quidem præsente, verbi divini prædicandi accepit potestatem, quemadmodum POSSIDIUS vitæ ejus Scriptor memorat *cap. 5. vit. Augustin.* Evidem in Ecclesiis Orientalibus Presbyteri nonnunquam licentiam habebant concionandi in Ecclesia majore, idque præsente

Epif.

Episcopo , at vero hoc non eò spectabat , ut officio suo absolveatur Episcopus ; sed hic nihilominus sermonem eodem tempore recitabat post Presbyterum , quemadmodum ex praxi CHRYSOSTOMI & FLAVIANI *Antiochiae* , aliisque exemplis norunt , qui in historia Ecclesiastica sunt versati .

In minoribus civitatis & regionis circumiacentis Ecclesiis hoc officium ad Presbyteros Parochos , tanquam proprios Episcopi adjutores devolvebatur . Ut adeo hoc officium prædicandi Evangelium tunc temporis proprium Episcoporum & Presbyterorum officium esse crederetur ; & Episcopus per se ipsum hoc administraret in Ecclesia Cathedrali conjunctim cum Presbyteris suis , vel solus sine illis : & vicariâ presbyterorum suorum operâ , ubi præfens esse non posset , in minoribus Ecclesiis . Benè multa loca in antiquis monumentis ad hanc visionem spectantia , tam in Imperialibus legibus , quam Canonibus Ecclesiasticis & præstantissimorum Patrum scriptis , reperiuntur , quæ partim hoc , tanquam necessarium Episcopalis & Pastoralis functionis officium , urgent . partim de ejus neglectione concurruntur , partim etiam censuras & poenas hac in re delinquentibus minantur . Conf. Laodicen . Conc. c. 19. Valentianum in Hispania Can. 1. Trullanum Can. 19. vide L. 25. C. Theod. de Episcop. L. 1. eod. Cod. de pœnis , ibique GOTHOFREDUM in comment. junge L. 1. Cod. Justin. de crimine sacrileg.

L

In

In nostris regionibus, vicinisque, seculis VI. VII. & sequentibus, quum gentium migrationibus omnia perturbarentur, remissiores in prædicando facti sunt Episcopi, partim quod per incuriones barbarorum cuncta intuta essent, & foedè jacerent; partim quod per amplitudinem Dioecesum præsertim in nostra Germania infinitis laboribus implicarentur; partim quod negotiis publicis (ad quæ vel ratione territoriorum, vel ob rerum gerendarum peritiam, quæ in Laicis nulla erat, vocati sunt) distinrentur. Unde per partes evenit, ut cura prædicandi verbi Divini in Parochos rejiceretur, iisque tanquam propria functio remaneret; quo jure adhucdum hodie utuntur. Plura hanc materiam concernentia legi possunt apud ESPENIUM P. I. tit. III. cap. 4. 5. 6. 7. seqq. utiliter quoque conferri poterit Prosp. LAMBERTINUS in *Inst. Ecclesiast. Inst. X.* p. 54. aliisque locis.

Primam Parochorum functionem intelleximus, transeamus ad alteram, quæ est *Oratio*. Parochum totum precibus deditum esse oportet cum pro semet ipso, tum pro grege suo, hoc est, Parochianis; immo hos quoque ad orandum inducere, & publicè in Ecclesiâ in preces præire. Hinc omnibus officiis & diurnis, & nocturnis assistere & præesse; quæ ad cultum divinum pertinent dirigere; preces extra ordinem pro occasionum varietate, præscribere; fidelibus precum formulas, quibus in familia

utan.

utantur, tradere; abusus autem & superstitiones tollere debet.
Ad hanc *Orationem* referuntur *Benedictiones*; benedicere autem est
preces solemnes diversis Benedictionibus aptatas concipere; veluti
fontium tempore Paschali & Pentecostali, aquæ lustricæ, panis
missatici, primitiarum fructuum, campanarum, thori genialis,
seminarum è puerperio prodeuntium, aliarumque rerum, quæ
in *Rituali C. de Presb. Ordin.* continentur. Omnia excellentissi-
ma species orationis est *sancti Sacrificii*, seu *Eucharistiae Opus*, quam Pa-
rochum in Ecclesiæ Parochiali propriè offerre decet, nem pepræter-
quam quod sæpius per hebdomadam, si non indies ipsi celebrandum,
Dominicis saltem ac festis diebus missæ sacrificium pro populo est of-
ferendum, sic enim præcipit *Conc. Tridentinum* *sess. 23, cap. 1.* His ver-
bis: "cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus anima-
rum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium
offerre &c." Benè quidem novi, quæ excitantur disputationes
utrum ex Concilii verbis Parochus facrum tantummodo facere;
an ejus quoque *fructum*, quem *medium* schola appellat, pro po-
pulo ita offerre debeat, ut nec ipsum pro alio offerre, adeoque
nec *eleemosynam*, *stipendium* vocant, (de cuius origine præter ES.
PENIUM doctè scripsit Fr. de BERLENDIS *integra dissertatio-*
næ sua potius libro cui titulus: de Oblationibus ad Altare communi-
bus & peculiaribus Venet. 1743. 4.) sumere possit. Vulgo tres in
regno opinionum circa propositam quæstionem circumferuntur
sententia, quas ordine enumerat Alph. de LIGORIO *Theolog.*
Moral.

Moral. Lib. VI. tract. III. cap. 3. n. 325. seq. verum nobis, missis illis privatorum doctorum placitis, tenenda sunt, quæ doctissimus simul, ac sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in *Epi-stola Encyclica edita die 29. Augusti 1754.* sancivit: Parochos nempe omnes etiam congruis alijs reditibus destitutos Missæ sacrificium in Dominicis, aliisque diebus festis pro populo applicare teneri. Hæc autem sunt Pontificis verba: *Ita mens nostra & sententia est, sicut etiam pluries à prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes & singuli, qui actu animarum salutem exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii Seculares, verum etiam Regulares æque teneantur missam Parochialem (in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de Precepto) pro populo ipsorum, curæ applicare commisso.*

Tertia demum Parochi functio est administrare in sua Parochia *omnia Ecclesie Sacra-menta*, à duobus confirmatione vid. Baptizatorum & Clericorum ordinatione si discesseris; hæc enim solus Episcopus vulgo administrat. Porro quæ hucusque enumera-vimus Parochorum officia compendiosè quidem, ast diligenter expressa habemus in *Concilio Aquisgranensi sub Ludovico pio ha-bitato An. DCCCXXXVI.* cuius *Canonem V. cap. II.* ubi agitur de vita & doctrina inferiorum Ordinum, huc transferre juvabit; en-ejus verba! “ Presbyterorum vero, qui præsunt Ecclesiæ Christi, “ & in confectione Divini Corporis, & sanguinis confortes cum
Episco-

“ Episcopis sunt , ministerium esse videtur , ut in doctrina præ-
“ fint populis , & in Officio prædicandi , nec in aliquo desides in-
“ venti appareant. Idem de omnibus hominibus , qui ad eorum
“ Ecclesiam pertinent , per omnia curam gerant , scientes se pro
“ certo reddituros rationem pro ipsis in die judicii , quia coope-
“ ratores oneris nostri (s. episcopal) esse procul dubio noscun-
“ tur. Quapropter ab ortu nativitatis cujusque ad se pertinentis
“ prædictam curam habeat , ne aliquis eorum absque renatione S.
“ Baptismatis moriatur. Post acceptum autem S. Baptisma , sine
“ manu impositione Episcopi non remaneat , ac deinde imbuatur
“ scire Orationem Dominicam , atque Symbolum. Postea vero
“ qualiter vivere debeat , doceatur ; si fortè vitiosus vel criminio-
“ sus apparuerit , qualiter corrigatur ; provideat ; si autem in-
“ firmitate depresso fuerit , ne confessione atque oratione Sacerdotali
“ nec nonunctione sacrificati olei per ejus negligentiam careat.
“ Denique si finem urgentem perspexerit , commendet animam
“ christianam Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione
“ sacrae communionis , corpisque sepulturæ , non ut mos est gen-
“ tium , sed sicut Christianorum.

Ad functiones Parochorum exterieores potissimum pertinent
tria. Primum est in vitam , morēsque Parochianorum invigilare;
à recens commigrantibus , domiciliāque in districtu Patocciali fi-
gere volentibus , nī fortè aliunde vivendi rationem eorum , fidem-

que habeant cognitam , exigere eā de re literas testimoniales ejus
quem reliquerint Pastoris , quæ , si denegentur , negotium ad su-
periorem referre , ejusque mentem desuper explorare , prout Sta-
tuta MAXIMILIANI H. in notissima Colonensi Synodo edita
Part- III. tit. VI. cap. 4. §. 5, conceptis verbis præcipiunt , quo
etiam loco mandatur distridim Parochis, ut “ vel vivâ voce , vel
“ scriptis , nī palam , occulte tuūc saltē & secretē Officiali vel
“ Sigillifero , vel Fiscalibus sine ulla dissimulatione , conniventia
“ referant & significant omnia & singula publica scelerā vel crimi-
“ na , notoriōsque populi vel Cleri excessus ; potissimum verò si
“ Clerus , vel Ludimoderator aliquod delictum correctione dig-
“ num committat , vel Laicus fidem , & Religionem Catholicam ,
“ & Ecclesiæ statuta notoriè violet , & saltē semel in Anno , in
“ festo Paschatis proprio Sacerdoti non confiteatur , & juxta ri-
“ tum Catholicæ Ecclesiæ Sacramentum Eucharistiaæ ab eo non
“ percipiat , Ecclesiæ suam Parochialem debitib⁹ temporibus non
“ frequenter , ab Apostatis aliisque sectariis Sacraenta percipiat ,
“ clandestinum , aliásve illicitum matrimonium contrahat , aut ab
“ alio quam suæ Parochiæ Pastore , aut Sacellano , sine præce-
“ dentibus tribus proclamationibus debito tempore in facie Eccle-
“ siæ solemnizari faciat ; vel adulter , aut concubinarius , aut usu-
“ rarius manifestus , vel reatu perjurii irrectitus , vel Sacramento-
“ rum , vel Ecclesiasticarum censurarum Contemptor sit , & in
“ incestu , hæresi , blasphemia , sacrilegio , effractionibus & vio-
“ latio.

“ lationibus ecclesiarum , coemeteriorum , & immunitatum , de-
“ licetisque similibus perseveret ; “ additur quoque in eodem ca-
pite parochorum esse , studiosè curare , ut in suis Parochiis *Sca-
bini Synodales* , viri probè Catholici , honestissimi & integerrimi
eligantur , qui operam suam in prædictis vitiis , criminib[us]que
indagandis cum parocho debitè collocare & possint , & velint .

Alterum in eo est positum : ut parochus vigilanti suâ curâ
complectatur *personas miserabiles* , pauperes , potissimum invali-
dos ; orphanos sive destitutos ; senes ad vietum quarendum in-
habiles ; dementes , stupidos , à suis destitutos propinquis , &
alienæ misericordiæ expositos , quam ipsi propinqui erga affinem
sibi sanguinem non habent ; viatores , peregrinatores , præser-
tim Religionis ergò Hinc ejus tanquam delegati ad hoc opus ab
episcopo est invigilare quantum poterit , quantumque licebit ,
vid. ESPEN Part. I. tit. V. cap. 4. ut illi , qui Nolocomiis , Xe-
nodoxiis mensaque pauperum , aliique publicæ misericordiæ piis
locis præsunt Magistri , Provisores , Administratores , officium
suum ex fide gerant , rationes & reliqua singulis annis , vel ubi
tenuiores sunt proventus singulis bienniis præstent , earumque ex-
actè præstitarum tabulas ad Ecclesiæ archivum , deponant . At-
que hæc pauperum cura præcipua fuit in primitiva Ecclesia episco-
porum occupatio . *Constitut. Apostol. L. 2. c. 4. item lib. 4. cap. 1. 2. seqq.*
sibi quippe episcopi commendatam habuere causam miserorum ,

vidua .

viduarum & orphanorum , quam sæpè Magistratibus & Principi-
bus commendarunt. Postea quùm iidem pii episcopi multitudi-
ne negotiorum ecclesiasticorum obrui cœpere , curam istam in
parochos tanquam in partem sollicitudinis episcopalis vocatos , &
cooperatores suos devolverunt , quorum igitur hodlè propria est
ista possessio . Conf. ad hoc thema illustrandum sæpius laudati
MAXIMILIANI H. Statuta locis supra excitatis.

Tertium denique , quod ad functiones exteriores pertinet ,
est ; *bonorum Ecclesiasticorum Parochiis attributorum inspectio* , &
administratio. Quarè parocho incumbit , fideles exhortari ad de-
cimas , oblationes , & eleemosynas liberaliter , sed sobriè conferen-
rendas ; mobilium , immobiliūmque donationes , & quascumque
alias fundationes , consulto tamen episcopo , acceptare ; prædia ec-
clesiastica secundūm æquitatis regulas elocare ; jura sua diligenter
exigere ; verbo : omnia illa facere , quæ boni patrisfamilias of-
ficiūm complectitur . Ad hæc etiam revoco curam Fabricæ tam
ecclesiārum , quam ædium paroecialium , ut sartæ testæ conser-
ventur , collapſæ restaurentur . De quibus omnibus & MAXI-
MILIANI statuta , & recentiores Archiepiscoporum nostrorum
Ordinationes consulendæ , sigillatim illa , quæ à JOSEPHO
CLEMENTE An. 1715. promulgata , & à CLEMENTE
AUGUSTO An. 1740. publico programmate fuit repetita .

§. IX.

§. IX.

Superest, ut prius, quam concludamus lucubratum hoc nostrum opusculum, de fatis Parochorum, parochialiumque agamus Ecclesiarum, non quidem omnia, quæ aduersa accidere enumeraundo, infiniti enim essemus, tam multa sunt; verum illa solum modò perstringendo, quæ properantibus nobis, & multum aliis occupatis, labilis & non benè culta memoria suggestit. Et quoniam *Fatum generale* vocabulum est, multisque adplicable; vendendum autem omnia propius, quid eo hic significatum volumus; explicandaque vis est, ratióque hujus entitiationis. *Fata* igitur vocamus “omnes deliberationes, imminutiones, subversiones & jurium, emolumentorumque, quæ vel lege aut canone, vel “alio quocunque justo titulo parochis, iisque concreditis Ecclesiis “aliquando competuisse, aut adhuc competere noscuntur.”

*Adversa
Parocho-
rum fata.*

Ac prima quidem clades Parochis fuit inficta per subtractionem prædiorum Ecclesiasticorum, & præcipue decimarum. Etenim circa VI, VII, VIII, & aliquot subsequentia secula, decimas & bona Ecclesiarum magnâ ex parte in *Laicos* transferri coepisse ex temporum illorum historiis palam fit. Sub CHILDEBERTO galliarum Rege, Principum patrocinio & potentiares Ecclesiastic. Beneficii ac præmii titulo in Laicorum jus ac possessionem transivisse evincit *Capitulum 25 Synodi Aurelianensis*.

sis IV habitæ an. 541. Sub insequentibus Childebertum Re-
gibus malum non diminutum, sed auëtum fuit. Quum enim
CAROLI MARTELLI ararium & fiscus tum bellis civilibus,
tum irruptione Saracenorum in Gallias multum exhauriatur,
res & prædia Ecclesiarum, etiam Parochialium militibus vice
militaris stipendii erogabantur, atque hoc ex æqualium scriptorum
testimoniis in comperto est. ALTESERRA de *Feudis galliæ*,
apud SCHILTERUM in *Codice Jur. Alemanni Feudalis*, Cap. 5.
negat quidem, CAROLUM MARTELLUM decimas Laicis in
feudum dedit, licet contendat eum prædia Ecclesiastica militi-
bus concessisse; ast benè rationatur BOEHMERUS in *J. Eccle-
siastic. ad tit. de Decimis*, §. XIX. arguendo: “quis crederet,
“ eum sibi à decimis militibus dandis temperasse, qui prædia ecclæ-
“ siastica beneficiario jure militibus concessit? Æque ex his ac ex
“ illis Clerici alebantur, nec, qui jus in hanc sibi arrogabat, ab
“ illis abstinuisse credibile est. “ Cladem hanc Ecclesiarum doluit
PIPINUS, sed cum morbo penitus mederi, & res Ecclesiarum à
Laicis avellere nequiret ob iniquitatem temporum & Reipubli-
cæ angustias, id effecit, ut Laici prædia Ecclesiarum precarie no-
mine tenerent, & Ecclesiis nonas & decimas per solverent, ac de
singulis casis denarios duodecim. *Vetus capitulum*, quod COR-
RECTORES ROM. subjecerunt. *Can. 59. Caus. XVI. qu. 1.* apud
Gratianum: “ & quoniam res Ecclesiis, à quibus ablatae erant,
“ restituere propter concertationem, quam cum Waifaro, Aqui-
tano,

“ tanorum principe habebat , non prævaluit , precarias fieri ab
“ episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes terra-
“ rum , & de unaquâque casatâ duodecim denarios ad Ecclesiam,
“ unde res erant beneficiatæ , dari constituit , usque dum ipsæ res
“ ad Ecclesiam revenirent. “ Cui suffragatur Canon. 46. Conc.
Turonensis III. & Canon. 10. Conc. Valentini III. CAROLO CAL-
VO Rege , rebus labantibus discordiâ Fratrum , decimis præcipue
& apertius manus injecere Laici , beneficii nomine , eaque labes
occepit à decimis dominicis , indominicatis , seu Regalibus , id est
decimis fiscorum & Regiorum prædiorum , de quibus vide præ-
ter Franciscum de ROYE Inst. Jur. Can. L. 2. tit. 12. n. 15.
Herm. Adolph. MEINDERS *Dissertat. de Origine ac jure decima-
rum in antiqua Saxonia , sive Westfalia cap. I. p. m. 375. seqq.* Ni-
mirum Reges urgente bellicâ necessitate Capellas in suis prædiis
construatas & horum decimas Laicis in beneficium addixere , quâ
occasione facilè Laici in decimas parochianas irruere . Conc. MEL-
DENSE Can. 75. “ si Capellas vestras presbyteris , aut viris eccl-
“ siaстicis dederitis , & Dominicas decimas acceperint , sarta testa
“ Ecclesiæ & luminaria exinde competenter provideant , & pres-
“ byteri Parochianas decimas accipiant , & populi necessitatibus
“ debitè invigilent : si autem Laici capellas habuerint , à ratione &
“ auторitate alienum habetur , ut ipsi decimas accipiant , & inde
“ canes , aut geniciarias , (de cuius vocis significatu agit SPEL-
“ MANNUS in *Glossario Archaiologico*) suas pascant. “ Hâc lue

M 2

in-

indies magis serpente, Laici, feudi nomine, passim decimas occuparunt, & posteris transmisere, de quo conqueritur ORERICUS VITALIS *Lib. 5. Historiar.*

Immò invalescente procerum tyrannide consultò sæpissim Laicis decimarum partem in beneficium dedere Ecclesiarum Antistites, ut partis damno, quod reliquum esset, tuerentur; Exemplum hujus, iniquitate temporum extortæ œconomiae adducit HELMOLDUS in *Chronic. Slavorum Lib. 1. c. 77.* edit. H. Bingerti, qui videndus. Eamdem Laicarum decimarum originem indigetat FRIDERICUS I, in oratione habitâ in Concilio Principum apud ARNOLDUM LUBECENSEM *Lib. 3. c. 18. p. m. 337.* Decimas etiam Laicis aliquando propinavit ambitio, & gratia Antistitum. Hujus proprii insimulatur noster EVERGERUS, de quo MOERCKENSIUS in *Conatu Chronol. ad Catalogum Episcopor. Coloniensium sub eod. Evergero p. 83.* & post eum plenius, exactiusque incomparabilis SEYLIUS in *MSS. Annalibus Coloniensisbus.* Lyssiardum Parisiensem Archidiaconum hoc quoque nomine notat FULBERTUS *Epist. 34.* quod nempe decimas & oblationes Altarium, stipem pauperum seculari militiae traderet. Alias causas, occasionesque traditarum infeudatarumque Laicis decimarum, brevitatis causa omittimus, quæ tamen Lectori-

bus

c. 51

bus panduntur ab ALTESERRA de *Feudis Galliae*, loco supra
excitato. Opportunè etiam hâc super re consuli poterit ES-
PENIUS *Tract. de Jure Parochorum ad decimas*, ubi §§. 7. & 8.
pereleganter ostendit, quo tandem modo decimæ è Lai-
corum manibus eruptæ non Parochis, uti quidem fas erat,
sed Monasteriis & Capitulis fuerint incorporatæ. Sed manum
de tabula.

Multum quoque damni ac calamitatis Parochis attulère
uniones Ecclesiarum parochialium Monasteriis, Collegiisque factæ:
quæ tamen vulnera hoc tempore & loco non refricabimus.
Qui volunt, adire, legeréque poterunt perelegantem dissertationem,
quam J. G. SCHLÖR Parochus Moguntinus evulgavit An. 1753.
sub titulo : *de Ecclesiarum Parochialium sacerdotiis, earumque
unione subjectiva monasteriis facta.*

Accessit prioribus & alia causa deminutionis Jurium Pa-
rochialium, illaque repetenda à quarundam Familiarum Fra-
trum Mendicantium *nimo, indiscretoque Zelo*. Exorti enim ter-
tio decimo ærae Christianæ seculo Fratrum Mendicantium Or-
dines prædicationi Vèrbi Divini, Sacramentorumque ecclesiæ
administrationi, quæ ad ea tempora propriæ Parochorum functio-
nes fuerant, se se immiscuere, vel privilegiorum Pontificiorum

obtentu; vel alio colore quæsito. Quæ res præcipuè quum id
feret sibi inconsultis Episcopis & Parochis, quantas in quibus-
dam Angliæ, Galliæ, ac potissimum Germaniæ partibus, tur-
bas excitaverit, & historiarum medii ævi Scriptores enarrant,
& plura loca juris nostri sacri ostendunt; notari singulariter
merentur Clementina dudum de sepultur. ad quam vide com-
mentarium Clar. ALTESERRÆ, & extravagans vices illius 2.
de Treug. & pace inter Commun. , quibus constitutionibus, ac
signanter cit. Clementinæ, seu potius, quæ in ea refertur,
Decretali Bonifaciæ occasionem fortè, materiémque præbuīste
videntur graves Archiepiscopi Bremensis, comprovincialium
que Episcoporum contra Mendicantes Fratres quærelæ, quas
statim ex Diplomate nondùm edito, recitabimus. Priùs ta-
men, quam illud fiat, expressis verbis declaratum volu-
mus: longissimè abesse à pacatâ mente nostrâ, ullam invi-
diam excitare Religiosissimis Fratribus, quos aliquatenus in
Parochorum subsidium vocatos agnoscimus, quorumque do-
ctrinam, pietatem, aliisque præclara merita semper suspexi-
mus, sempérque suspiciemus. Ipsum autem Diploma, cu-
jus autographum quatuor Sigillis munitum inter alia plura id
genus documenta latet in Bibliotheca F. C. H. JC. sic se habet
G. Dei gratia Sancte Bremensis Ecclesie Archiepiscopus, cum
Ven. Fratribus suis Coepiscopis per suam Provinciam constitu-

tis,

tis, Honorabilibus Dominis Preposito, Decano, totique sanctae Colonensis Ecclesie Capitulo Orationes in Domino devotas. Discretioni vestre decrevimus intimandum, quinimo cum amaritudine cordis potius conquerendum, quod Fratres minores in Lubeke commorantes, liberam habere volentes predicandi, confessionem audiendi, mortuos sepeliendi facultatem, episcopo loci contempto, projecto pudoris pallio, & assumpto ambitionis supercilie, cum prohiberetur his committere ex causis legitimis, prout in Articulis, & Sententiis contra dictos Fratres prolatis plenius est expressum, Consules Civitatis, & Fratres maiores sibi sumpsere Adjutores, qui omnes in presenti uno animo contra Dominum Lubecensem, & Ecclesiam suam militant ex adverso. Et ecce quid faciunt, & fecerunt predicti Fratres, concitare coeperunt Consules & populum dictae civitatis universum; & Dominum episcopum cum Capitulo & Clero suo ab ipsa Civitate irreverenter ejecerunt, & ipsi in locum ipsorum surrexerunt, dicti quoque episcopi prohibitione contempta Singulas ecclesias, & Parochias in civitate ab ipso interdictas Pastoribus legitimis fugatis, Officiantes, predicantes, confessiones audientes, oblationes tollentes, Sacra menta ministrantes, Sententias ordinarii non curantes, sed nullas fore ipsas judicantes, & hoc publicè predicantes, & populum à Dioecesani obedientiā avertentes,

ex-

excommunicatos suos non vitantes , sed eos ad divina invitantes ,
occasionem dantes , ut contra Clericos , & quemlibet suo
Episcopo obedientem , tanquam contra hereticum clametur
Netheren Netheren ! in capite omnium platearum , predican-
& dicti Fratres in suis stationibus , quod nulli obedire te-
neantur , nec Episcopis nec Archiepiscopis , nec Primatibus ,
nec Apostolice Sedis legatis . Preterea consules dictae civitatis
nephas operantes monstrosum , qui paulo ante in subversio-
nem Ecclesiastice libertatis statuta nova , iniqua & inconsue-
ta pertinaciter ediderunt , & edentibus aliis alii consenserunt ,
videlicet : à Fidelibus offerri vietualia sub certa poena prohi-
bentes , in exequiis plures missas vetantes , in nuptiis obla-
tiones solitas defalcantes , sepulturas quoque pro suo libitu
odiosè transferentes , denique quecunque ad honorem Dei
spectant , sub certa mensura coartantes . Postquam vero di-
ctos Episcopum & Capitulum suis proventibus spoliarant ,
quosdam Histriones & Clericos vagos dicti Consules vocarunt ,
& curam animarum ipsis commiserunt ex fratum informatione ,
qui in civitate predicta impudicè & intrepidè divina profa-
nant , interdicti , suspensionis , excommunicationis senten-
tias contemnentes , & in his omnibus maleficiis fratres utrius-
que ordinis principiantur populo aplaudentes , sed verius il-
ludentes . Flagellum Domini non timentes , non advertentes ,

quod

quod in Isaia legitur. Audite Verbum Domini viri Illustres, qui dominamini super populum meum. Qui dixisti percussimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum non veniet super nos &c. Preterea cum coram nobis nuper, & Coepiscopis Provincie nostre & ceteris Prelatis, consentientibus consilibus Lubecens acibus memoratis compositio quædam licet valde insufficiens dicto Episcopo & Capitulo suo super premissis omnibus esset ordinata & à partibus hinc inde acceptata, ita ut civitatem predictam cum toto Clero ingredi deberent, ruptis omnibus, que in compositione conscripta & condicta fuerant, clamoribus validis, contumelias inauditis dicto Episcopo & Clero suo ad civitatem accendentibus inhumaniter est illusum. Cum igitur predicti fratres cum consilibus civitatis, quibus inseparabiliter vinculo conspirationis sunt conjuncti, Dominum Lubecensem Capitulum & Clerum suum disperdant & animas eorum de die in diem affligant, supplicamus vobis quatenus propter DEUM nobiscum solerter intendatis concilio & auxilio nos juvando quomodo his rebellioni flagitiis & malitiis contagiosis salubriter occurratur & vestri concilii tenorem super ante dictis nobis rescribatis; cum in periculum universalis Ecclesie moveri premissa omnia videantur. Preterea supplicamus vobis, quatenus literas vestras efficaces ad Curiam Romanam dignemini destinare, ut Dominus Papa de sua benignitate super premissis omnibus, quorum fama ut credimus vos non latet, adhibeat concilium remedii salutaris. Datum Anno M. CC, LXXVIII. In Octava B. Agnetis.

Commentarium notasve famoso huic diplomati subjecere ipsares quidem exigere, verum temporis angustia prohibent; addemus tantum: felicem seculorum mutationem ejusmodi Parochorum contra Religiosos Fratres querelas, si non omnes, saltem plerisque cessare fecisse. Atque hisce filum opusculi abrum-pimus.

EXPLICIT. FELICITER.

N

COROL-

COROLLARIA

Ex Jure Natura & Gentium.

I. **O**riginale in liberos Dominum & prima potestas matris est, non patris; & apud homines non minus quam cetera animantia partus ventrem sequitur.

II. Nulla communio rerum primæva extitit; unde verum non est per divisionem aut tacito pacto homines inde recessisse; ex quo sponte sequitur, primos homines reservare non potuisse communionem quæ nunquam fuit; inde que nec eam reviviscere posse propter necessitatem.

III. Cum Aristotele obseruamus quodam homines *naturâ servos esse*; unde bene scripsit Agesilaus apud Plutarchum: Asiaticos homines *liberos malos, servos optimos esse*.

IV. Cum illustri Busbequio nescimus, an optimè Reipublicæ consuluit, qui servitutem primus sustulit. Si justa & clemens servitus, prælertim publica maneret, tot laqueis & crucibus ad coercendos improbos haud egeremus.

Ex Jure Canonico.

I. **F**acile quidem largimur Decretum Gratiani neque per Eugenii III. confirmationem, quâ auctoritas scholastica ei accessit, neque per Gregorii XIII. Bullam quâ emendatio ejus fuit corroborata, vim legis Ecclesiastice accepisse; vera tamen nobis videtur illa sententia, quæ dicit: illud esse authenticum & vim legis decisivam habere ex *usu & receptione*; quamvis in Germania tantum in subsidium.

II. Etiam in causis merè profanis, si dubitetur in foro civili quale jus obtineat, civile Romanum, an Canonicum & pro canonico est præsumendum, hoc enim prius in Germania fuit receptum, speciali æquitate nititur, & genio inclytæ nationis est magis accommodatum.

III. Antinomia in jure canonico nec nullæ, nec multæ sunt.

IV. Resignationes in favorem, ut loqui amant, sunt recentioris disciplinae, ante seculum XVI. in Germania incognitæ; uti quidem hodie fiunt, frequenter de simonia, ambitu, amore carnis, & sanguinis suspectæ;

V. Famosa divisio potestatis Episcopalis in *legem diocesanam*, & *legem jurisdictionis* est inventum J. Hugotionis vetustissimi interpretis Decreti Gratianei in *Can. I. caus. 10. qd. 1.*; quæ opinio adoptata per SS. PP. Honорium III. Innocentium III. vim juris accepit.

VI.

VI. Sententia nostra clericos superflua non erogantes pauperibus non obligat ad restituendum, sicut illos semper à peccato haud absolvat.

VII. Magis est, ut beneficiati possidentes sufficiens patrimonium possint vivere de fructibus beneficii, patrimonio in alios usus collocato.

IX. Parochorum residentia est juris naturalis & divini.

X. Lubentissime amplectimur sententiam Concilii Provincialis Coloniensis. An. 1536. part. 7. cap. 40. quæ est: Sacramenti matrimonii Ministerum esse Parochum, non verò ipsosmet contrahentes.

XI. Contra Parochum per se concionari, aut catechizare volentem nulla potest allegari præscriptio.

XI. An. 1472. sexto decimo Kalendas Augusti Pontificatus anno primo Sixtus IV. concessit Capitulo Metropolitanu Coloniensi, nec non Archidiaconibus Ecclesiis Bonnensi, Xantensi, Sufatensi indultum perpetuum eligendi Præpositos suos.

An. 1486. quarto Kal. Octobris Pontificatus anno tertio Innocentius VIII. simile indultum Metropolitanu Trevirensi Capitulo concessit, quod an. 1514. sexto Idus Januarias Pontificatus anno secundo Leo X. confirmavit. Hæc Indulta primū ad instantes preces dictorum Capitulorum data fuere. Dein expressa in iis fit mentio Concordatorum Nationis Germanie, uti nos docent authentica eorum exempla, quæ in manib[us] nostris sunt, ex his igitur confidimus: Principaliores Germanie Ecclesiæ etiam primis post sancta concordata temporibus, Ep[iscopu]m IV. eorumdem concordatorum, in quo de Præposituris reservatis agitur, in favorem Sedis Apostolice intellexisse.

Ex Jure Civili.

I. Potissima vis consuetudinis etiam contra legem, in idoneis civium actibus posita est, & ad eam introducendam, si aliquo opus est, sufficit consensus Principis Generalis.

IV. Moribus nostris etiam maiores judices Adsestoribus utentes debent esse legum & iuriū periti.

III. Judicis est ita judicare, ut simul fungatur officio boni judicis, & boni viri: adeoque in conflitu conscientie, & actorum, ac probatorum, nec secundum conscientiam, nec secundum acta & probata, sed semper secundum conscientiam actis & probatis instructam, judicare debet.

IV. Ex Lege Barbarius Philippus 3. ff. de off. Pret. nihil minus probatur, quam quod communis error jus faciat.

V. A locatione, conductione ædium inquilinus ob Spectra, nocturnosque tenores recedere non potest.

Ex Historia & iure patrio.

I. **C**lar. Roderico assentimur, & statuimus: ante Seculum VIII. Coloniam Agrippinam non fuisse Metropolim Ecclesiasticam; primum autem ejus Archiepiscopum ponimus *Hildeboldum*.

II. Metropolis Colonensis Primitui Trevirensi nunquam fuit subjecta.

III. Singulare est, quod Rdmi Archiepiscopi Colonenses splendido isto titulo & S.R.E. *Cardinalis S. Joannis ante portam Latinam*, nunquam in suis diplomatibus fuere usi.

IV. Exempla haud extant, aliquando Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicos Presbyteros cum *Mytra & Sandaliis* officium divinum peregrisse; quo tamen jure ex tot repetitis SS. Pontificum bullis gaudent.

V. Specialis prærogativa Electorum Colonensium est, quod etiam ex illustri S.R.J. Comitum protœpia geniti, uti possint titulo: *Durchlaucht*.

VI. Capitula Collegiarum Ecclesiistarum radicatum habent *Jus voti & sessionis in Comitiis patriæ*; id quod & olim exercueré, quo tamen memorabili quodam casu excidere.

VII. Distinctio Cleri in primarium & secundarium antiqua haud est, & fortè seculum decimum sextum haud superat.

VIII. Inconclusa veritas est, jam inde à seculo decimo tertio Capitulo SS. Apostolorum jus *monet & cudente apud susatum competitio*. Supersunt ad illud demonstrandum præter plura diplomata denarii argentei, quondam dicti Kuttengennig.

IX. Editi Scriptores super anno translationis Corporum SS. trium Majorum Mediolano Coloniam variant; supersunt imedita documenta, quibus certa epocha figi posset.

X. Mira rerum conversio! seculum decimum quartum Veftales Capitolii Virgines solvit Regulâ S. Benedicti, & moniales transmutat in seculares canonissas; & converso quintum decimum seculares Canonicas ad S. Cæciliam regulari observantia subdit, votisque monasticis adstringit.

XI. Jus istud antiquum, & antiquatum, quod *vidimus nuncupabant*, cuius vigore “in Civitatibus vel Diœcesis Coloniensi, Moguntinensi, Trevirenisi aliquæ literæ Apostolicæ executioni mandari non poterant, nisi prius per hujusmodi Archiepiscopum, in cuius civitate vel diœcesi executio erat facienda, vel per aliquem alium super hoc ab eo deputatum viræ & examinata fuissent, ac in signum hujus examinationis per hujusmodi prædictum Archiepiscopum vel deputatum Testimoniales literæ esent concessæ” ex mero sedis Apostolicæ beneplacito, specialique concessâ gratiâ descendebat; uti docent literæ Bonifacii P. quibus Pontifex aliam nostram Universitatem ab onere istius examinis, & obtinendarum Testimonialium liberam esse jubet.

Coloniae Typis Hæredum GEREONIS ARNOLDI SCHAUBERG.

Kr 2309

X2368165





DISSERTATIO
ACADEMICA INAUGURALIS
DE
PAROCHIS

In Alma, & per antiqua Universitate Coloniensi ordinario sub

*Præsidio
Prænobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum, ac Dominorum*

**D. FRANCISCI GABRIELIS
HAMM**

*J. U. D. Professoris Ordinarii, & Publici, venerandæque Facul-
tatis Juridicæ Dictatoris.*

Nec non

D. JOANNIS PETRI WIRTZ

*J. U. D. Professoris Ordinarii, & Publici, ejusdémque
Facultatis Fisci.*

*Pro consequenda in utroque Jure summi gradus Licentia
in publico Juris Auditorio*

DEFENDEBAT

JOANNES HENRICUS HÖVER.

Agrippinas

*Archidiaconalis Collegiatæ S. Cuniberti, & Parochialis
S. Lupi Ecclesiarum Coloniensium respectivè
Canonicus & Pastor.*

Anno M.D.CC.LXIV Die Mensis Martii Horis consuetis.

Indulcta Veneranda Facultatis Juridice.